



10

LESSUS RITUALIS
AD USUM
RITUUM ECCLESIASTICORUM
INSTITUTUM, DESTITUTUM, RESTITUTUM
RITU SYNODI ANNUÆ SOLENNI
POTENTISSIMO OLIM, NUNC BEATISSIMO
SEMPER GLORIOSISSIMO
PRINCIPĪ AC DOMINO
DN. CAROLO XI.
SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUM
REGI
MAGNŌ PRINCIPĪ FINLANDIÆ
DUCI
SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ CARELIÆ, BREMÆ
VERDÆ, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIÆ, ET VANDALIÆ,
PRINCIPĪ RUGIÆ
DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ
NEC NON
COMITI PALATINO RHENI
BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM
DUCI
REGIO INAUGURATIONIS RITU
OLIM INSTITUTO
RITU FATALIUM CONSVETO
NUNC DESTITUTO
SED
USITATIS NUMINIS SUPREMI RITIBUS
IMMORTALITATI
ET COELESTIUM REGNORUM OCCUPATIONE
ET TERRESTRĪUM INTER MORTALES
IMMORTALIS NOMINIS CAROLINI
CAROLI NUMINIS QVONDAM IN TERRIS COELESTIS
NUNC COELITIS
GLORIOSA RECORDATIONE
ÆTERNUM RESTITUTO
IN
IUSTISSIMĒ INSTITUTÆ QVERELÆ FUNEBRIS MONUMENTUM
MEMORIÆ NUNQVAM DESTITUENDÆ MUNIMENTUM
ÆTERNÆ GRATITUDINIS ET SUBJECTIONIS RESTITUENDÆ ARGUMENTUM
LUCTUOSE PRIMO INSTITUTUS,
OBLIVIOSE DESTITUENDUS NUNQVAM
GLORIOSE RESTITUENDUS SEMPER
AB
HEINRICO ARNOLDO STOCKFLETHO, SS. TH. LIC.
SERENISS. PRINC. BRANDENBURGICO-BERUTHINI CONSILIA-
RIO ECCLESIASTICO, SUPERIORIS MARCHIONATUS BURGGRAVIATUS NO-
RICI SUPERINT. GENERALI ET MONACHOMONTANO SPECIALI, CONCIO-
NATORE AULICO SUPREMO, CONSISTORII ASSESSORE, ET ILLUSTR.
GYMNASII CHRISTIAN-ERNESTINI DIRECTORE.

MONACHOMONTI. LITTERIS MYLIANIS,
ANNO CH. M^o DC. XCVII^o

6

POTENTISSIMO REGI
SERENISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO
DN. CAROLO XII.
SUECORUM, GOTHORUM, VANDALORUM
REGI
INCLUTO, PIO, FELICI
MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ VERE MAGNO
DUCI
SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ, BREMÆ
VERDÆ, STETINI, POMERANIÆ, CASSUBIÆ
ET VANDALIÆ
EGREGIO, PACIFICO, INVICTO
PRINCIPI RUGIÆ PRAE-LUSTRI
DOMINO
INGRIÆ ET WISMARIÆ
MAGNANIMO
COMITI PALATINO RHENI
EMINENTISSIMO
BAVARIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM
DUCI
EXCELSO, VERENDO, INTREPIDO
HEROI FORTISSIMO
HAEREDI
REGNORUM AVITORUM
VIRTUTUM PATERNARUM
GLORIAE MAJORUM
DIGNISSIMO, FELICISSIMO, GLORIOSISSIMO
REGI MEO CLEMENTISSIMO
FELICIA!



POTENTISSIME REX!
SERENISSIME PRINCEPS!
DOMINE CLEMENTISSIME!

AD REGIÆ MAJESTATIS TUÆ Thronum, supplicem me devolvi, & Pur-
pure Tuae augustali, angustum hoc munusculum, ni debiti verius censum,
involvi, revolvi deniq; tanto me distans spatio, ex occiduis hisce, ad A-
quilonis plagas, ne mireris. Obaratus dudum, ecce! fidem jam venio libera-
tum. Multum me Solio, & quod aliàs haud soleo, diu, & GLORIOSIS-
SIMI TUI PATRIS, & TUO nunc, debere, palàm profiteor. Gra-
tiosissimum, quo me presentem dignatus es, affectum, affatum item, regi-
am licet, attamen & blandissimum, aequè gratus recorder, ac munera
muni-

munificentissimi PARENTIS omnino regia. Ingratus essem, ni gratiam augustalem, gratitudine metirer; impius, si munera, muneribus, non compensarem. Ast quae sunt mea munera? Sordet munus, inquit ille, quamvis opulentia grave, na gravidum mysterio. Dicatis Martitelis, belligerum; Musicum, plestris Phœbo sacratis, palpabant veteres. Venerem roseo coronabant sanguine: liliato Junonem comebant lacte: Illa perstillantis vulneris, uberis ista meminit perfluentis. Quid vana congero? Maclatur Philistaorum donis arca, non tam auro, quam indice pretiosis: admissis jam fulgentibus, immisis prius fœde, triumphum perenabat memor anathema. Litat Abelis agnus, caelestis ignis profluvio incineratus, agnum referens, qui ab ipsa infantis Orbis cuna ferebat sepulchrum. Sepulchrum & ego quero, non cryptam illam illunem, cui ossa CAROLINA (O infelix, O illatabile munus!) inferri debent: non Mausoleum illud, sumptibus, dubio procul, ac artificio, piis, piissimi Parentis, manibus, magnificè extruendum: sed castrum desidero doloris, mœroris publici monumentum, lesu hoc rituali, sacra parentalia ut quodammodo instituam, exequialis comes. Defuncto quondam Antonino Imperatore, quisquis, ex Capitolini testimonio, effigiem illius, in domo sua, non suspendisset, funeri nec luctum, cum lacrumis, affudisset, pro sacrilego habebatur. Istud immane vitium ne incurram, accorro, ex occiduis, in occiduam Cœlitis nostri memoriam funeri inferendo: memoriae effigiem domi meae suspensam, contestando. Ea ratione, nec sacrilegi execrando nomine, nec ingrati grato nemini titulo, nec impij, in pie defunctum, pius, damnabor culpa. Quam verò illatabilis Tibi, REX INCLITE! quam deploranda merces rependitur, ab hoc opere meo? Munus meum funus est, funus querit, funus comitatur; & si quid ei inest pulchrum, nihil est, nisi sepulchrum; si quæ ceremonia, non alia, quam flebilis querimonia; ritus innovati doloris pruritus. Neq; enim vereor, quod altissimè inflictum, vulnus, tametsi duxisse cicatricem aliquatenus videri queat, iterum iterumq; sauciare: solium Regium funestare. At verò fausta erunt illa funesta, faustæ voces mœrore exhausta, gloriosa præconia funebria dolorosa, Tibi, REX GLORIOSISSIME! sub felicè Regni auspicio, à cœlesti Numine, in augurium felicissimum, dispensanda. Scilicet non est iraculenta mortis injuria, quæ Patrem, cœlo anhelantem, aufert, filium, Patri similitimum, terra restituit; quid? Regem solio constituit Paterno. Non, opinor, ad profanam interpretaberis audaciam, non palpum appellabis, REX GRATIOSISSIME! cum ex sacro veri thesauro, Beatissimum Parentem, CAROLUM XI. undecimam Rationalis. Veteris: & Apocalyptrice, Novi fœderis, gemmam; illam Sardonychem; hanc Hiacinthum, nuncupem; Te verò, CAROLUM XII. duodecime, ex Rationali, Jaspidi; ex Apocalypsi verò, Amethysto, comparare presumam. Præterquam enim, quod lapides hi gemmei singuli, purpurei sine coloris

coloris; (Purpur a autem est color regii apparatus;) cum alii cœrulei, violacei deprehendantur alii: Sardonychem præcipue, tribus conspicuam coloribus; SVECLÆ REGEM, tribus superbientem coronis; PATREM seorsim, ex circulo, quo includitur, candido, quandam arcus cœlestis anhelationem, ex Plinii observatione, spirantem, denotare; Hyacinthum æque, variato, ex improvise, colore, quodammodo quasi effugientem, & oculorum obtutui sese subtrahentem, ejusdem inopinatam exprimere mortem; vel quod, Isidore teste, cum cœlo faciat commutationem, discessum Regis, ad cœlica Regni Palatia, adumbrare, non insulse quis dixerit. Te vero, FILIUM SUCCESSOREM, CAROLUM XII. Jaspidem, non sine causa, dixerim; amethystum, non sine bono omine, nuncupaverim. Posterior hic, ut Plutarchus refert, ea præstat virtute, ut ad se trahat, quod in ejus est conspectu; eandem cum duodecima regni cœlestis gemma, CAROLO DUODECIMO, attrahendâ regni terrestri, Patre destituti, tribuamus virtutem. Prior ille, ut, cum usu quotidiano, Plinius observat, sigillorum usui aptissimè adhibetur: sed &, cum duodecima Rationalis gemma, CAROLUM DUODECIMUM. & quidem ex Vaticani ore, pronunciamus, signaculum exquisitissimè sculptum, plenum sapientia, decore singulari, aliisque eximiis donis, exornatum. Lutherus: Ein reintlich Siegel/ voller Weißheit, und aus der maßten schöne. Jaspis gemma est, varii coloris: virides aliæ, aliæ sunt cœruleæ: aliæ rubræ, candidæ aliæ. Ex viridibus, aliæ confusum magis colorem præ se ferunt; aliæ referunt Smaragdum. Ex cœruleis, Cypriam alii à cæsia, Persicam distinguunt à Thermodoontea, planè cœrulea. Ex rubris, Plinius aliam facit purpuream, violaceam aliam, aliam roseam, Sardio, aliam, colore similem. Ex candidis aliæ dicitur esse Chrysellina, aliæ nivea, nubea aliæ fumeaque. Jaspis eras, Rex, CAROLE XII, jam annum ante, cum Te videndi, atque etiam admirandi, gratia concederetur. Jaspis, inquam, eras, ex qua, varii, Paternæ indolis, & virtutum maximarum emicabant colores. Cœruleo Jaspidis splendore fulgurabat pietas; pudoris & modestiæ, purpureus color, cum roseo, principale temperabat lumen; genarum rubor, interfuso lacteo candore, quas non, in Adonio flore, Veneres æquabat? Viridantia Virtutum Heroicarum semina, quæ non viridi coloris, hoc est, germinantis spei & expectationis signa, representabant, & omina, fore, ut brevi gubernaculis, Regni & indolis Paternæ Hæres, adnotus, vitam non nisi regis moribus, Regnum meritis, annales gloria impleres, tenerimum ævi presentis delictum, grande subsequenti prodigium? Nec est, ut istos, in Te, REGIE JASPIS! Jaspidis varios, varièque micantes, diu multumque miremur, virtutum colores. Tanto siquidem genitore, CAROLO XI, stupendo Heroicarum virtutum miraculo,

prognatus; Tanta non minus genitrice, **ULRICA ELEONORA**, Venere illa pri-
 mum Cimbrica, post Suecica Nympha, Sueciae simul ac Daniae Heroina omnibus
 numeris absoluta, Regia Viragine, satis; qui poteris aliter, quam splendidissimis
 illustrium, quos dixi, colorum radiis, coruscare? Solent utique horum rudimen-
 ta, in posteros, à Progenitoribus, propagari. Nec propaginis saltem isti sunt in
 Te Virtutum radii, aut prosapia. In sinu laudatissimi Parentis, utriusque, po-
 tissimum tamen prioris laudabiliter educatum, & ad Indolis suae, actionumque
 iconem, quotidie efformatum, eo ardentior, imò & sapientior Te animavit, ad vir-
 tuosae Jaspidis colores maturè exprimendos, impetus, quo majora & luculentiora
 generosae mentis, regique spiritus, exempla, in ipso Parente, tanquam in
 nitidissimo speculo, quotidie conspiceris. Sed nec hic subsisto. Suum gemma
 pretium consequi non satis potest, nisi artifex accedat manus, & naturae provo-
 cet dozes; dozes, Tibi **CAROLO XII.** infanti Regio, gemmeo, Jaspideo, & à na-
 tura, & à Deo, & à Genitore, inditas, cum Genitor Augustus, angusta quidem de
 specula, sed splendore tamen, in tantum augustali, cerneret coruscantes, ut præ-
 luderent atatule virtutes etiam adultiores, quae illustriora quæque minabantur,
 spatium Te infantiae egressum, **TRIGÆ VIRORUM**, & genere, & virtute, & do-
 ctrina, & rerum præclare agendarum usu, præstantissimorum, excellentissimo-
 rum, illustrissimorum, ad formandum, informandum, efformandum tradidit.
 Primus eorum magnus est **GÜLDENSTOLPIUS**, Comes Illustris, Consiliari-
 us **CAROLI** Patris intimus, filii **CAROLI** tutelaris, utriusque Regius, Regiae
 Tuæ, **PRINCEPS** quondam **HEREDITARIE!** tunc juventutis, nunc ado-
 lescentiæ, moderator, gubernator: à quo aureo, quid, nisi aurum, aurei nominis
 omine, pretiosissimum, omnis, utriusque partis, tam doctrinæ elegantioris, quàm
 morum integerrimorum, est expectandum? Aurum imprimis fidei generosum,
 in deauratis coronatorum basilicis aliàs rarissimum. Aurum dein eruditionis
 & doctrinæ solidissimum, à Regum subinde Principumque aulis, hoc præcipue
 degenerantium plerorumque Magnatum seculo, non auleo, sed admodum bar-
 baro; non aureo, sed ferreo, tantum non penitus relegatum. Aurum denique vitæ
 morumque purissimum, vitiosæ rubiginis omnis expers, nec maculam ullam, sco-
 rris semel dilutis, aliunde attrahens. Quid mirum, si sub tam aureo, scientia-
 rum, tum divinarum, tum humanarum, virtutumque, auro longè præstantio-
 rum, laminis, non perfunctoriè, sed plene planeque deaurato, duce, moder-
 tore, gubernatore, **GÜLDENSTOLPIO**, aurei velleris, hoc in negotio, non equite,
 sed Brabeuta, Hercule imò Musageta, ejusdem velleris, verè aurei, sed symbolici,
 & Eques, **REX AUREE!** & Heros, **CAROLE DEAURATE!** & Impe-
 rator renuncieris **SUECIÆ IMPERATOR!** auro quovis, sublimior? Alte-

rum, primo huic succenduratum, reperiebam (quem autem, quod adhuc egre do-
leo, vel oculis conspiciendum, vel ore salutandum, vel brachiis amplexandum,
nulla unquam occurrebat occasio, saepius quamvis, & sedulo quaesita) veneran-
dum arcanorum caelestium mystam, mysteriorumq; interpretem, BENZELIUM
Episcopum Siregnensem. Pharos ille Tibi, REX RELIGIOSISSIME! praefer-
rebat (compertum id habeo, ex ipsius beatissimi Parentis Tui, ore, teste omni fi-
de majore,) ob religionem in Deum, aliasque boni Praesulis virtutes, in exem-
plum valituras. Ejus sub Ephoria, primarium, in serio Numinis, atque hinc
assiduo pietatis cultu, collocandum didicisti ardorem, quo non imbutus modo, sed
roboratus, contra seculi consuetudinem, animus, ad interiorum illam caelestis,
non necessitudinis dumtaxat, conscientiam, sed & commercii familiaritatem,
tam mature assurrexisti, ut frequentissimis, de Deo, sed frequentioribus tamen,
cum Deo, colloquiis, sero Tibi atque solida (quod augurari facile licet) felicitis re-
giminis praesidia comparares. Tertium addo illustrem POLUM, polum orbis eru-
diti, sed & Tui, ERUDITISSIME REX! erudiendi, verè polum, utpote circa
quem, tanquam cardinem quenquam exquisitoris tuae informationis sphaera
volvitur, & ad quem, velut polarem stellam, universum, vite Tuae, ac morum,
dirigitur moderamen. Nec mirum, ubi tot cardines ingenii sumi & virtutum (sunt
autem in uno POLO quam plurimi) quibus Tua, REX INGENIOSISSIME!
virtus; Tuam, REX VIRTUOSISSIME! ingenium continuo volvitur, quod
nunquam sit, recti centrum, egressura, fixa vertici vel cardini Majestatis Tuae sphae-
ra. Ast verò

- - - - Duplici de cardine vertex
Dicitur esse Polus - - - -

Sed alter in nostro Hemisphario non apparet: prohibet BONÆ MENTIS, ra-
raque verecundiae magister, in publico laudari. Si prohibuisset minime, Tuam
olim, OPTIME REX! quem hodieq; indicarem, SERENISSIMARUM
bigae SORORUM, formatorem pium, sedulum, strenuum; & quid? tanto do-
cenda pietatis fervore, tanto, in corculis Regiis, stabilienda religionis ardore, sin-
gulis praelucentem, ut, in excelsa Holmensium Palatio, ceu in Zodiaco Gemini,
nitidissimis, illae, virtutum principalium radiis à me susceperentur, collustrantes.
Te ipsum verò, stipatum regie & egregie, gemino hoc velut satellitio, Solis instar lu-
minibus ceteris, praeminentem, admirabundus conspexerim. Et haec de Jaspide,
virtutum Tuarum indice. Sed & Amethystum, aula caelestis Apocalypica gem-
mam duodecimam, CAROLO TIBI DUODECIMO, boni indicem omissis
nuncupavi. Singularem nuncupat Amethysti dignitatem, quod Tyria purpura
(est autem Tyrus Phoeniciae metropolis) colore superbiens, omnium attra-
hat, ad se, vota. Ad hunc, inquit Plinius, tingentium officinae dirigunt vota.

Qui aliter? Tyria, seu quod idem est, Phœnices purpuræ memoria, memoriam
 excitat Phœnicis avis, quam unam in toto orbe ferunt, à purpureo colore. Bonum
 omen! Nomen omine faustum! Sed & in consortium boni ominis, Jaspidem, ut
 virtutum ante, sic nunc felicitatis, indicem, vocemus. Omnes Jaspides amuleta
 esse traduntur: tradit Dioscorides. Scorsim Plinius, & cum eo, Hieronymus,
 virtutem hanc viridi Jaspidi, linea alba præcinctæ, adscribunt. Quicquid ejus sit,
 amuletum est CAROLO XII, duodecimæ, Rationalis gemma, infelicia singula
 procul abigens. Phœnix est, Phœnices purpuræ, Amethystus, duodecima Apo-
 calypseos curia gemma, CAROLO XII, longævioris ætatis vates, secundum illud
 Eaomitarum Regis: Multiplicabo dies meos, ut Phœnix! Quod ut ita eveniat,
 mea quoque Tibi, REX FELICISSIME! felicitatis vota; mea Tibi, REX VI-
 VACISSIME! longævitas desideria, vel ut CAROLO XII, vel ut Amethy-
 sto, CAROLI Symbolo, duodecimæ æternantis vitæ gemmæ, vota omnium de-
 vota cupidissime attrahenti, offero, dico, consecro. Quicquid Annis desiderã-
 tissimi Patris, CAROLI XI, Regis florentissimi, immaturè detractum, Tuis, Filii
 exoptatissimi, CAROLI XII, Regis floridissimi, id adjiciat, propitium Numen!
 Servet, custodiat, protegat Te, Arctoi orbis Rectorem, Sueonum caput & columen,
 incolumem, qui solus purpuram tegit, sceptrum regit, Regna custodit! Insigne re-
 gium, tribus coronis aureis, verè insigne, cum trino, quod ante designavi, & fidei,
 & Religionis, & pietatis, auro, æternum perennet! Vigeat insuper pacis aurea &
 tranquillitatis corona! Floreat corona justitiæ & æquitatis! Corona denique, quæ
 annum cælo desuper coronari expectamus, annuatim revirescat! Revirescat, vi-
 geat, floreat, auctibus latissimis, Triga coronarum semper-augustalis! Augusta
 nunquam deficiat Majestas! Diadema robore avito duret! Splendeant Sceptra!
 Rejuvenescant SUECIÆ LEONES! Æternent CAROLINI HEROES!
 Id quod devotissime vovet

REGIÆ TUÆ MAJESTATIS

Servus
 devotissimus
STOCKFLETHUS.



m!

Qui sint? Quosque ritos Ritus Ecclesia servet?

Rite rito ut dicam, da rata verba DEUS!

AUDITORES!

Antiquo ritu, ritè devenerandi!

Ritè de ritu, rituumque rito ac decenti usu, usu, nec irritò, nec inani, in Ecclesiam, & ab ipso DEO, & à sanctis Dei Viris, antiquitus introducto, id est, ritè instituto, multa multi: plures plura, de eodem minus ritè, seu quod eodem recidit, rite minus rito, imò verò detestando magis, magisque irritò, quin omninò execrabili, destituito, id est, abusu rituum Ecclesiasticorum ut plurimum desultorio, temerè partim, quidvis, quovis loco & tempore, licentiosè fatis: vel etiam, si quid displicet, morosè nimium nimiumque rigidè, nunquam non intempestive, nunc moliente, tunc perperam demoliente: Sed eo rate ritè, que restituito, vel demum, ad cultum DEI haud inculte præstandum, aliisque plura veri cultus, veræque pietatis, emolumenta instauranda (quæ tamen suprema decet esse omnium cura) restituendo, pauci pauca traderunt, imò aliqua paucissimi.

Miror sane, nec demirari satis possum, supinam nonnullorum, atque istorum maxime, negligentiam, qui ad clavum Christianæ Reipublicæ sedent, possidentque; Ecclesiæ gubernandæ claves, quod in negotio tam arduo, & in quo, veri ordinis, veræque tranquillitatis, cardo, thesaurus Ecclesiæ, in his terris, non nisi militantis, exoptatissimus, versatur, tam segniter ac desidiosè egerint, ut vel nihil egisse, accusandi sint desidiosi; vel, si quid egerint; non omninò segniter, insigniter disidia sparserint, verum ac salutarem rituum Ecclesiasticorum usum, nimium altercando, destituentes verius, quam restituentes.

Verus erat, verumque Græciæ verbum, proverbium, in Hylas Helenasque, consuetum, quo, formosorum etiam Autumnos formosos esse, deprædicabant: in Therstas autem, & Æsopos, ac Polyphemos, & summatim, in omne, quod natura degenerans aut exerrans effudisset, è contrario jactabatur, turpium, non nisi turpem, annum esse totum ac integrum.

Turpium istarum ac deformium rerum numero, quid, quæso prius ac citius, connumerandum; quid, obsecro, sub censum, anilis atque senilis, hoc est, turpiter fœdi, fœdeque deturpati anni; anni, inquam, integri, integre ac totaliter deformis, verius potiusque revocandum, quam usus rituum Ecclesiasticorum fœdisime putidissimeque, hoc nostro tempore, destitutus? Non aberravero, si, quod Metaphysicorum quondam, non abs-

C

absque admiratione, juvenis adhuc, & in pulvere scholastico desudans, observavi, lemma-dilemma, obscurum satis, & primo intuitu, non parum deforme, quin, ingenio juvenili, monstro simile, hic repetam, dicamque, destitutum illum plusquam difformiter - uniformiter - difformem; imò & uniformiter - difformiter - uniformem, deformatum maximè esse ac deturpatum. Ecquæ etenim rituum, quibus diversis Ecclesiæ locis, diversimodè utuntur, forma? Annon difformis? Vel si fortè uniformitatem aliquam somnias, aliam tamen, vigili oculo, non conspicias, quàm uniformiter difformem; vel si mavis, difformiter uniformem. Ista est difformis, istorum, ac deformis facies, difformitas deformis. Ista species, deformitas difformis, Splendorem requiris? Deformitas est. Ordinem? Confusio est. Gloriam? Dedecus est, ac turpitudine. Turpem, reperias, totum, integrumque, tot annis deturpatum destitutumque, rituum destitutorum deturpatorumque, annum, cujus nec Ver, cum florido isto, primæ institutionis, in flore; nec ætas, floridæ istius devotionis æstu, æstivè florida; nec autumnus, fructibus, ad divini Numinis honorem, & Ecclesiæ emolumentum, exuberans; nec hyems, tepidæ ad fornacem tranquillitatis modulamine hymnifera: Sed ætas tragica, ver dissolutum ac desolatum, tartareus autumnus, pestifera denique labes, lues & exitium, exitiosa hyems est, acerbissimis nunquam non lachrymis deploranda.

Deplorandum idcirco, & eo magis, est, illos, penes quos & facultas est, & quæ chalybem facultati aciemque addit, autoritas, ad debellandum istud difformitatis monstrum, adeò desidiosos esse, ut religiosissimus quondam, nunc beatissimus, Zelotes, rituumque Sacrorum vindex dexterrimus, in suis, quos, pro recuperando eorundem nitore pristino, piè scripsit, piis desideriis, compositis mecum ad easdem pariter querelas vocibus, conqveratur, quod Christiani cultus publici, adeoque & rituum cultui huic, ordine decenti ac debito inservientium, rationem, huc usque pauci, & quidem satis parcè prodiderint: plures autem profanorum rituum scriptores extent. Seculo potius hujus mundi Theologi seculares, quam cultui divino, ritibusque, ad eum ritè peragendum, ordinandis, incumbentes.

Sed enim vero, incumbendum, ex adverso, nobis, auguror, omnibusque innitendum viribus, studio quoque omni, omni labore, cura denique omni assistendum, ut monstrum illud informe, in formam transmutetur meliorem, medicasque huic, longè lateque patienti, nec occulto, gangrenæ instar, gressu repentini, sed oppido, & non sine summo extremi scandali periculo, grassanti adhibeamus manus. Et certe, totus in eo eram, Auditores! ut, quod, ejus, quo fungor, officii debito, incumbit, debite, eoque decentius expedirem, quo decimus quintus Augustinæ Confessionis nostræ articulus, Rituum Ecclesiasticorum usum, piè partim ab antiquis institutum, destitutum ab aliis impie, piis piorum votis ac curis denuò restituendum, Synodali hoc Patrum Conscriptorum conventui, præsentique placidæ disquisitionis negotio, fronte velut offert capillata.

At vero & alia sese offerunt, præsentis negotio, inferenda, usui licet Rituum Ecclesiasticorum haud admodum rite miscenda, capiti tamen, non minus, quam cœpti hujus sermonis calci, ex gravissimi casus commemoratione, funesto, (cui autem DEUS medeator!) omine, lugubrique præconio, addenda.

Ecquæ, inquietis, illa? Dicam, sed ea lege, ut quæ dicturus sum, nunquam, nec nisi acerbissimis conspersa lachrymis suspiriisque comitata

ta calidissimis dicenda exoptem: dicta semper, & quousque tandem sperando spiro, spirando spero, sine singultibus nunquam, nunquam sine planctu, dixisse, non poeniteat. Scilicet, CAROLUS (Carolus, cum dico, ecquis non protinus Regii nominis Majestatem, imò Majestatis imperatoriae augustum nomen, augustali purpura, vel indutum, vel denudatum, intelligat?) CAROLUS, inquam, Undecimus (undecimum autem, dum memoro, Carolus augustus, annon ejus augustissimum commemoro gloriosissimi Regis nomen, qui haud ita pridem, non Arctoum modò, sed universum verè terrarum orbem, & prudentiae admirandae fulgure, & virtutum maximarum fulgore, ad miraculum usque, illustrabat?) CAROLUS, repeto, UNDECIMUS SUECORUM Rex (Regem quando Suecorum nuncupo, ecquem alium, nisi *Aquiloniae* plagae Monarcham inclytum, invictum, magnanimum, fortissimumque, & talem indigito, cujus virtutum immortale fastigium, vestigium mortale, jam dudum conspicitur supergressum?) CAROLUS, iterum, iterumque repeto, UNDECIMUS, SUECORUM REX, (cujus, ut diutissime superesset, nunquam sine faustis acclamationibus, proferri nomen debebat.) Heu CAROLUS! Et quid ille? Non est. Heu CAROLUS UNDECIMUS! Et quid non est? Non superest. Eheu REX SUECIAE! PATRIAE PATER! Et quid? Patriam deseruit, (O saevissimum nuncium, quod calamitas praevertit!) è Suecia emigravit, (O jacturam tot Regnis & Provinciis luctuosissimam!) idque insperato quidem, ac inopinato, (O lubrica vitae humanae curricula!) duro tamen & inevitabili (O duritatis funestae fatum!) mortis imperio.

Surge igitur Aquilo, ceterisque, quae te circumcingunt, & regionibus & ditionibus, & circulis, in ejulantium miserè orbem coactis, cum lamentis duris, dirisque defer stridoribus, supremæ lucis ac dignitatis jubar, in Septentrione, suo deturbatum esse loco, ipsamque Aquiloniam plagam, in plagas incidisse planctus acerbissimi, atque etiam plagas accepisse luctus gravissimi, damnum certè, altissima illa ac praegnantis plaga infixæ, perpeti, irreparabile. Concurrite, concurrite, non Sueonum saltem, sed & Gothorum, Vandalorumque, Gentes, magnæ habitatores Finlandiae, Ducatum Scaniae, Esthoniae, Livoniae, Careliae, Bremæ, Pomeraniae, Cassubiae & Vandaliae, praepotentissimorum incolae, accolae Principatus Rugiae, Ingriaeque & Vismariae coloniae; concurrite, inquam, quotquot, sub potentissimo Sceptro CAROLINO degitis; quotquot gloriosissimo Regis Vestri throno regio clientes unquam adgeniculastis; quotquot augustalem CAROLI augusti purpuram, devoto submissionis cultu, adorastis; concurrite, plangite, voces reddite querulas, gemitus emittite flebiles, singultus petite & repetite assiduos, vestramque in communi deplorate miseriam.

Sed & in GERMANIAM nostram, nostrumque praesentem IMPERII statum, ancipiti bellorum fortuna periculose satis fluctuantem, nec aliunde, quam à Suecanicæ Gentis, CAROLINO & consilio & auxilio, salutis ac tranquillitatis anchoram, certo, in illius usque emortualem, certius: sed frustra (O spes hominum fallaces! Desideria ferali catastropha deturpata!) expectantem, ista querelarum planctuumque diffunditur necessitudo, quin-imò & SERENISSIMI augustioris Germaniae partis Principes, Duces generosissimi, Heroes fortissimi, aliique Viri, praeter ceteris, eminentissimi, celsissimi, illustrissimi, atque cum his, ipse etiam

Augustissimus IMPERATOR LEOPOLDUS, peregrino hoc, tanquam domestico vulnere, ingemiscunt.

Ingemiscit præcæteris Princeps noster Serenissimus, CHRISTIANUS ERNESTUS, Marchio Brandenburgicus, Dominus noster clementissimus, Patriæ Pater Optimus, Heros fortissimus, mortemque tanti Regis, tam deplorandam, quam præmaturam maximè, vel ex sanguinis propinquioris & agnatæ necessitudinis affectu; vel quod tanta, cælestes inter animos, Reges intellige Principesque, doloris est consensio; vel ex justo, de injusta fatorum lege, ac iniqua sorte, æquo judicio, univèrsa simul, in mœstitiæ confortium, adscita, Principali domo, tantiluctus sociâ, acerbissimè plorat, veste insuper indutus pulla, & lugubri amictus habitu, conclavibus etiam, ac parietibus, togas quasi talaes induit, & atratas, intimi doloris, feriique luctus, indices: & ne quid, ad exprimendum publicè tenerrimum integerrimumque, quem ex integerrimi REGIS, regiique ac SINCERI erga se AFFECTUS, lethali clade, conceperit dolorem, intermitteret, consultum duxit, imò voluit, & gratiosè injunxit, ut Synodalem hunc, in panegyricum converterem sermonem, vel Lessum instituerem rituales.

Rituum, quo de, ex ritu, in solenni hoc confesso dicendum, mecum constitueram, Ecclesiasticorum usus, usum extemplo suppeditabat, quo & obsequii gloriam SERENISSIMO PRINCIPI gratiosè præcipienti, & gloriosum CAROLO REGI gloriosissimo, nominis ac honoris, monumentum, poteram exhibere, ejulatu partim lugubri, & ululantibus vix non lamentis: magnificis partim præconiis, plusquam statuarum trophæorumque ambitione superbientibus, erigendum, longèque perennioribus, in illustrium virorum memoria, imaginibus præfulgens, quam quæ marmore aut ære finguntur: atque, ut perennia illa, ex ritibus non nisi ritè perennantibus, adeoque felicius multo, multoque facilius exhibere possim, quam possum maximè curam simul studiumque adhibebo, ut, quem scimus, rituum religiosorum usum ritè institutum: minus deinceps ritè; hominum, vel incuria, vel injuria destitutum, adeoque irritum factum, quantum quidem virium in nobis est & facultatis, pristino nitore ac vigori omnino reddamus restitutum, integrumque redditum: quod ut, ex voto, obtineamus, vota vestra meis votis jungite, atque iis, quæ de RITUUM ECCLESIASTICORUM USU, INSTITUTO, DESTITUTO, RESTITUTO, dicturus sum, devotè porrò, ut cœpistis, attendere pergite, ritumque simul, quem, tot annis, piè auscultando, observastis, ne destituantur ulterius, operam date: date DEO devotionis ritum; Regi, rituum olim assertori facerrimo, sacra parentalium ritualia; mihi, ritu consveto dicenti, aures rite patentem, ne irritus sit labor ac sermo, quod, rite debito, decentique, à Vobis, peto atque contendo.

PRimum autem, præcipuumque, quod de usu Rituum Ecclesiasticorum instituto, monendum dicendumque est, ipsius institutionis varietatem offert, quæ & ipsa varios, infert, ac multiplices Ritus, ceremonias varias variis generis diversas, usus varios, varia per loca, tempora, personas mirè variantes, varièque variatos.

Sunt siquidem alii divinitus, humanitus alii instituti; alii verbo divino traditi, alii Ecclesiæ autoritate additi; Certis alii constitutionibus

bus sancti, meris alii consuetudinibus introducti; alii denique, pu-
 blico omnium consensu, privato alii ausu, & usu, satis pro-
 ptemodum temerario, ficti & effecti. Primos tamen, ex in-
 numero myriadum rituum numero, à supremo ac cœlesti Numine, in-
 stitutos scimus, cujus nutu & arbitrio, cœlum, terra, ac ea singula re-
 guntur, quæ sub cœlo, & in terra geruntur. Quemadmodum illi, quos
 statos orbium cœlestium cursus, certas syderum trajectiones, insignes
 ac notabiles rerum aliarum commutationes, constitutis vicibus, intue-
 mur, non fortunæ temeritate, nec ulla vi materiæ, ad eundem modum
 diriguntur, sed divina providentia temperantur: ita pariter rituum,
 Ecclesiasticorum primos cursus, præcipuasque ceremoniarum, Ec-
 clesiæ syderum, constitutiones, & quæ plura subinde commutatio-
 num, rerumque earum, quæ ad cultum divinum dirigebantur, mo-
 menta occurrunt ac monumenta, insignia omnino & notabilia, non
 temerè aut fortuito, sed ipso rerum omnium conditore ac moderato-
 re DEO, instituta deprehenduntur. Quæ verò, à DEO, boni omnis
 fonte, instituta scimus, eadem, nec temere, nec fortuito facta, sed eo
 consilio ordinata, agnoscimus, quo nihil, nisi quod bonum ac salutare
 nobis, ejus provida lustrat cura, eligit, decernit, instituit. Id quod
 ex vario rituum divinitus institutorum fructu, ipsiusque factæ institu-
 tionis fine, evidenter colligi, manibusque quasi prehendi, licet. Li-
 cet enim nullam omnino ritibus, undecunque constitutis, vel cultus
 rationem, vel perfectionem sacrorum, vel devotionis acumen, tribua-
 mus: non possumus tamen negare, maximum ac fere incredibilem,
 eosdem, ad cultum divinum rite obeundum, administrandum, con-
 summandum, fructum addere ac emolumentum, cum & sacrorum,
 sint ornamentum, augmentum devotionis, ac veluti sepimentum.

Quemadmodum enim sepes hortum circumvallat, & fructus cu-
 stodit, ne diripiantur furtivis manibus: ita ritus devoti, devotionem,
 animosque in DEum elevatos, muniunt & conservant, tepidiores ex-
 citant, & ad divina mysteria indaganda, ferventiores reddunt. A-
 romata, & eorum condimenta, cum levis aliàs sint momenti, cibum
 tamen reddunt sapidiorum. Nævus etiam, ut in proverbio est, si quis
 est in formosi cujusdam facie, non adimit, sed auget pulchritudinem.
 Arborum folia, licet fructus non ferant, hos tamen protegunt, & il-
 las exornant. Cortex in arbore, amara ut plurimum, quandoque &
 cariota, nullisque unquam fructibus florida, nihilo tamen minus & ve-
 stit arborem, & tegit, & conservat: Sic & Ritus sacri, sacrorum licet
 Energiam, & cultum Christianæ Religionis, non absolvant, exor-
 nant tamen, & conservant, ejus exercitia, & ad decorum Ecclesiæ,
 mysteriorumque DEI, faciliorem feliciorumque intellectum, non pa-
 rum conducunt. Quod igitur sal, cæteraque aromatum condimen-
 ta, carnibus sunt, & cibus; quod nævus, formosæ formæ; quod fructi-
 bus folia, & arboribus cortex; quod sepes hortis: hoc religioni & cul-
 tui sacro sunt sacri ritus, cultum divinum, cultusque religionem, reli-
 giosè partim declarantes, partim foventes, nutrientes, augentes &
 confirmantes, ut non sine re, nec incongrue, dixisse Augustinum,
 confiteri cogar, cum dixit: Absque externis ritibus impossibile esse,
 servare religionem. Et hæc certè causa fuit, ac impellens ratio, quod

D

DEus

DEUS Ter-Optimus, ter-Maximus, in veteri foedere; electum sibi, & ad cultus suos, populum Israëliticum, non modo, certâ quadam Politicæ formâ, ab aliis gentibus extraneis, & à civili Israëlis statu abalienatis, segregavit: verum etiam externis quibusdam, iisque mirum in modum variis, sumptuosis, pretiosis, ritibus alligavit, atque in publico externi sui cultus exercitio, observandos, severissime injunxit.

Quid? quod non Israëliticæ saltem genti, sed & eorum Majoribus, quin & venerando Patriarcharum choro, imò ipsis Paradisi quondam incolis, sacrum sacrorum rituum ordinem, divinitus institutum fuisse, multis rationibus, non obscure colligitur? Ritus certe externi omnes, ad Politiam Ecclesiasticam pertinentes, & ad divini cultus circumstantias aliquas, modo non essent umbræ rerum futurarum, nec liberationem à servitute Ægyptiaca respicerent; statum illum innocentis Paradisiacum nullo modo dedecabant; nec adduci me patiar, ut credam, quod, sine Sacramentorum aliquorum usu, adeoque & rituum sacrorum instituto homines, si diutius, in amenissimo isto campo, commorari atque habitare, ipsis concessum fuisset, ibidem vixissent. Inde est, quod aliqui, haud obscuri nominis Viri, ritus ac ceremonias cultui divino consecratas, à natura ipsa, rituum velut ac ceremoniarum magistra, ac institutrice, emanasse, argumentis satis satisque ponderosis, adstruant ac evincant.

Longum foret, & contra ritum ritè perorandi consuetum, si singula singularim pertractare aggrederer, quæ de rituum usu, non in veteri saltem testamento, post Deum, per Prophetas, aliosque sanctos DEI viros: verum etiam, in Novo, per Christum, & ejus Apostolos, ac si ab his discessero, primos primitivæ Ecclesiæ Episcopos, Rectores, Doctores, Concilia, Canones, Patres, Patrumque successores, instituto, tam ex sacris, quam ex Patrum historia, proferre possem: cui non displicet, ipsam, hoc in negotio, Historiam evolvat Ecclesiasticam, & Conciliorum Tomos, aliorumque scripta, quæ vocant, Ritualia, Antiquitatum item Scriptores, qui extant quam plurimi, & habebit, quo desiderium omnino explere possit.

Ab instituto, ad usum destitutum devenio; quem autem non adeo, verborum dictionibus, quam diris durisque querelis, & acerbissimis lachrymis, explere, inexplicabilis exigit ejus desolationis abominatio. Nolim equidem, Auditores! existimetis, rituum, veteris legis, & ceremoniarum Mosaicarum, abrogationem, me tantoperè dolere. Neutiquam. Umbræ fuerunt istæ, luce Evangelii, suo tempore, dissipandæ. Præit umbra, corpus sequitur, & quò succedit corpus, umbra succiditur: Sic Christus, immenso suo splendore, & rerum figuratarum complemento, ritus omnes typicos, qui ipsum præcesserant, jure abolevit, quos revocare velle, nihil aliud esset, quam Christo contumeliam facere, ejusdemque meritum abnegare. Lucerna, quæ non su præluxit, si, orto jam sole, adhibeatur, nullum præstat illuminandi officium: ita ritus illi ceremoniales, qui Judæis, tempore diluculi, profuerunt, nobis nihil profunt, quia orto sole justitiæ non oportet umbras consecrari.

Verum

Verum autem, cum veteres V. Testamenti ritus, ex agro Ecclesiæ novi fœderis, jure meritoq; , eradicatos, seu destitutos concedo, non illicò omnes simul alios, quocunq; tandem nomine veniant, extra ejus pomerium relegandos, consentio, sed ægrè fero, intimèqve excrucior, cum illorum adverto petulantiam, qui vel studio novitatis, vel procaci quadam contumacia, vel desultoria levitate, vel licentia, quam insulse præsumunt, plus quàm licentiosa, sub vendicatæ sibi libertatis prætextu, & ne in conscientia præcipites ruant carnificinam, ritus antiquitate probatos, autoritate Ecclesiæ suffultos, piorum omnium ac verorum Christianorum calculo approbatos, honori divino conservando atqve propagando assuetos, Ecclesiæ in melius formandæ & ornandæ idoneos, multisqve aliis Christianæ gentis commodis ac emolumentis promovendis non incommodos, sine ulla præbabili ratione, consilio, necessitate, rectiqve specie, violant, destituunt, deturbant, omnem non solum pietatis, sed & humanitatis, sensum impiè rejicientes, pedibusqve effrænatae malitiæ, ac inveteratæ nequitia, nî consuetudinis malè sanæ, calcantes.

Exsint itaqve Libertini isti, vel verius maleferiati licentiosi, qui quidvis, quovis tempore & loco, ausu privato, privatoqve arbitratu vel instituunt, vel abrogant, in Ecclesia, atqve ea ratione, usum Rituum Ecclesiasticorum destitutum, nulla ullius *ἰουδαϊκῶς* vel *αἰθεραϊκῶς*, ædificationis, vel destructionis, habita ratione, post se relinqvunt. Hanc enim perniciosam, scandalosam, & seditiosam libertatem, Petrus vocat, malitiæ velamen. Exsint temerarii isti ausus, usus rituum receptos, & orthodoxa antiquitate approbatos, in suis statutis & ordinationibus, aut recusandi pertinaciter, aut temerè prævaricandi, aut quovis alio modo, pro lubitu libituque, transgrediendi, atqve ita usui rituum sacrorum, destituto viam parandi. Via siquidem illa est, quæ improvidum vulgus, ad vitam æternam conditos mortales, ad inferorum orcum certa ratione præcipitat, ejusqve atra barathra parata. Exsint petulantis illa levitatis carcinomata, futilia malitiæ pondera, ventosa desultoriæ apostasiæ ventilabra, pro sua, qua delirant, libidine, rituum verorum ac optimorum usum, levius figentia, levissimeq; refigentia, id est, nunc constituentia, nunc destituentia. Isthoc enim injuriosæ levitatis modo, leve fit, ac vanum, omne illud, quod populus Christianus, toto orbe diffusus, nunquam non sanctè observavit, ac religiosè. Exsint igitur quoque, periculosus ille & perniciosus, rituum Ecclesiasticorum usus, his potissimùm, quos diximus, & liberriam levitatis, & levissimæ temeritatis, & temerariæ libertatis, ausibus destitutus.

Destitutum autem rituum Ecclesiasticorum usum, cum exesse jubemus, Restitutum eundem, ut procuremus, oportet. Et certè, quemadmodum destruere ac convellere benè constitutas res, valdè est execrandum: sic convulsa, destructa, ac collapsa, in meliorem formam pristinumque statum, restituere, magis multò approbandum, omniq; laude est dignissimum. Dignissimum est, hanc in rem, ut afferamus Gregorii Nazianzeni, judicium, qui, facilius, inquit, benè instituta dissolvuntur, quàm dissoluta restituuntur. Et certè ita est, in re, maximè

rituum Ecclesiasticorum destituta. Ista, ut ritè debiteque restituatur, probè attendendum, attentione industria ruminandum, industriè porro ac diligenter examinandum, examinatione justa ponderandum, qui tandem sint ritus isti, quos primitus institutos retinere, destitutos autem restituere oporteat? Quo hic utemur iudice? Quo arbitro? Quis nobis hunc nodum solvet? dubium auferet? litem dirimet? Quem expectatis, Auditores! quem, ad arduum hoc negotium subeundum, ipsi iudicatis iudicem, sufficientem? Recurrite, quæso, memoria vestra, ad divinum illud responsum, quod de doctrina cœlesti, rituumque divinitus institutorum, mandatis, populo quondam, sub lege rituum Mosaicorum constituto, eo dabatur interpretamento, ut, quod ipsi expectabant, de ritibus constitutis iudicium, *non procul esse positum, cognoscerent, quasi remotius sit, quam ut assequi id possunt; nec in cœlo situm, ut dicere tenerentur: Quis nostrum valet, ad cœlum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, & opere compleamus? Neque trans mare positum, ut dicas: Quis è nobis poterit transfretare, & illud ad nos usque deferre, ut possimus audire & facere, quod præceptum est?* Minimè! Non est iudicium istud, de longinquo, adducendum. *Sed juxta te est proximè, & in ore tuo, & in corde tuo;* addam ego: & sub manibus Vestris, Auditores! Augustana, nimirum, Confessio, Lydius ille, doctrinæ Evangelicæ, rituumque sacrorum, lapis, ad quem, veritati cœlesti consonum, omnes ritus, & ceremoniæ, ut ipsa veritatis doctrina, inter nos, examinari atque dijudicari oportet. Ecquid autem illa, de retinendis, restituendisque ritibus, seu, quod idem est, rituum Ecclesiasticorum usu restituto, iudicat? Percipite iudicium, iudicii attendite æquitatem. Sic autem iudicat: *Ritus illi servandi sunt, qui sine peccato, servari possunt, & profunt ad tranquillitatem, & bonum, in Ecclesia, ordinem.* Pietas, quæ libertati per Christum partæ, respondet, nec scandalum infirmis, nec superstitionis ansam præbet, sit in fronte. In pectore Tranquillitas, quæ & levitatem, cum lascivia, & temeritatem cum petulantia, & licentiosam omnem, ex Ecclesia, removet licentiam. Decens denique ordo, in toto corpore, singulisque structuræ ceremonialis, articulis, emineat, qui decoro Ecclesiæ, cultuique sacro ita inserviat, ut majori reverentia, solenniorique modo, singula, tum in administratione sacrorum publica, tum in privato cultus divini exercitio, peragantur.

Isti sunt, quos Augustana Confessio, quæ sub manibus nostris, & in ore est, & cordi merito affixa, cœlo desuper data, nullâ necessitate, mare transfretando, adducenda, absque peccati periculo, veræ cum tranquillitatis commodo, & ordinis decentis nobili ac illustri decoro, retinendos, vel etiam restituendos, docet, ceremoniarum ritus.

Sed verò, quæ solent esse, peregrina, trans mare posita, & ex diversis, divisi orbis, partibus conquista, iis, quæ in sinu, & sub manibus sunt, gratiora, plurisque æstimata, si Vester quoque, Auditores! animus rariora, cariora, solidiora iudicat, atque è longinquo, quid de retinendis, restituendisque in Ecclesia ritibus, ritè iudicandum sit, accersi desiderat, en! Vobis regium & egregium, de hoc negotio, regiarum **SVEONUM** (at quam religiosæ Gentis?) **ACADEMIÆ UPSALIENSIS** Informa-

formatorium, annum ante, ad mandatum SERENISSIMI nostri PATRIS PATRIÆ, longo fatis, fatisque periculoso, per impetuosas procellosi maris, procellas, præcipitesque sæpius deviarum viarum anfractus, instituto, & quod DEI unius ac solius gratiæ, non sine summa gratia, tribuendum est, feliciter consummato itinere, trans mare mecum apportatum, curâ Regiâ, Regiæ Majestatis Suecicæ, CAROLI, Regis Suecorum, UNDECIMI, tunc pientissimi, nunc beatissimi, nunquam unquam, absque gemitu ac singultibus millies geminatis commemorandi, adornatum, PROFESSORES inter & DOCTORES Theologos, verè Theologos, verè doctos, verè pios & orthodoxos, ventilatum, approbatum, confirmatum; imò, quod in nostrum omnium, omniumque totius PRINCIPATUS nostri Ecclesiarum, commodum ac ornamentum vergere deprehēdemus, à SERENISSIMO nostro, pro eâ, quâ præstat pietate, & piorum conformiumque rituum introducendorum studio, cupidè & singulari cum devotione, amplexum, atque etiam pro cynosura, ad quam, RITUALE nostrum antiquum, renovari, sacraque liturgica singula institui, ac restitui, in posterum, debent, & voce, & literis, non semel lectum ac electum.

O felices nos, O terque quaterque beatos, quibus PRINCEPS, hoc est, Ecclesiarum Principatus sui, protector, rector ac propugnator, contigit, qui omne suum studium, sumptuumque magnificorum copiam non postremam, in id collocat, ut cultum divinitus institutum, ritibus antiquitatis consuetis, piis, integris, & ubique conformibus, celebrandum restituat! O felicissimos nos, & quam dici, quamque numerari potest, fortunatos magis, magisque beatissimos, quibus insignis illa, ac rarissima felicitatis fastigia, obtigere, ut in adornandis continuandisque rituum sacrorum sacris, ejus vestigia REGIS legere ac sequi concedatur, quem venerandæ non modò Majestatis purpura, sed purpurea pariter purpuratorum sacrorum majestas, ritibus, ut olim, sericis coccinei rubentisque coloris, corusca, & ævo, & æternitati, æternum tradidit venerabilem!

Obmutesco, Auditores! & vox faucibus hæret, cum Heroem illum regium, pium, devotum, religiosum, cultus divini studiosissimum, rituum sacrorum observantissimum, auctorem, promotorem, propugnatorem, ac propagatorem, omnium eorum, recogito, quæ Christianum Regem, regiumque Christianum, decent. Sed & exhorresco, Auditores! & tremuli titubant, quid? corruunt artus, cum Heroa Heroorum incomparabilem, heroica virtute, pietate incomparabili, fortitudine, ad vindicandam sacrorum legem, rituumque, in sacris, conformitati, ac usui veteribus piè recepto, restituendam integritatem, nulli secundum, majorem pluribus, præmatura morte abreptum, fatis, (Heu dira mortalium fata! Heu dura fatalium ac funesta decreta!) concessisse; proh! Regem immortalitate dignum, fatis concessisse, audio.

Exhorresco, inquam, obmutesco, obstupesco, vox hæret faucibus, ex ore singultus, ex corde suspiria, ex oculis lachrymarum prorumpunt fontes; quid, inquam? imò verò, nimio præ metu & motu, præclusi prorumpere fusius, largiusque sese effundere, respuunt, cum tanta mens & sensus omnis lapidescat in duritiem. Stupet ampliore,

tantæ cladis, enarratione, percussa mens, & præ justissimo animi dolore, extra me rapior, iterum iterumque perpendens, OPTIMUM REGEM, in quem, supremus rerum arbiter, cum omnium laudum atque ornamentorum genera, tum innumera maximaque potentia suæ & providentiæ miracula contulerat uberrime; OPTIMUM REGEM ac inclutum, cujus divina mens, singularis pietatis sacrarium, prudentiæ senaculum, gravitatis thronus, clementiæ ara, castitatis adytum, fortitudinis castrum, justitiæ tribunal, constantiæ firmamentum, omnisque boni, veri, recti & honesti emporium, ac gazophylacium, à cunctis, qui eum familiariter noverant, censebatur; OPTIMUM REGEM, & absolutissimum Virtutum omnium exemplar, ordinis, tam in sacris, quam in profanis, tam publicis, quam privatis, absque confusione conservandi, vivum propugnaculum, rituumque sacrorum ritè promovendorum sanctius quasi quoddam sacellum & sanctuarium; OPTIMUM denique REGEM, & immortalitate dignissimum, in quo salus & incolumitas tot florentissimorum Regnorum, tot laudatissimarum Provinciarum, tot Principatuum illustrissimorum; gentium verò subditorumque innumerabilium, linguarum partim diversitate, disjunctorum, montium etiam atque fluviorum septis discretorum, partim verò & rituum & legum vinculis invicem separatorum, junctim tamen, ac unanimi voto, concurrunt atque nituntur desideria; illum, inquam, REGEM OPTIMUM, MAXIMUM, ante tempus, hanc mortalitatem exuere, exuvias deponere, depositumque tam insigne, tam nobile, tam desiderabile, votisque omnium expetitur, præmatura mortis violentia, eripi, abigi, abduci.

Impium si fata eripuissent tyrannum; iniquum si abegissent, tyrannica oppressorem; sævum, sæva opprimentia, ac intolerabile, si abduxissent, flagellum; Deo & hominibus exosum, aris suorum ac focis noxium, si noxia & exosa, enecassent, religionis omnis, fidei ac pietatis, depopulatorem, & talem

*Qui facit è vera turpes pietate cothurnos,
Quando lubet,*

non esset utique, quod vel factorum injuriam accusarem, vel mortis duriolem detestaremur violentiam; propitio sic placuisse Numini, fidentes sibi deseruisse nescio, justaque judicis supremi piè verenda, sancteque veneranda pandi judicia, quin & victimam cælo gratam, tædiosam orbi, orco redditam, omnes omnino judicarent, judicante id ipsum, in Hercule suo Furente, nec absque judicio, asserente Seneca:

Victima haud ulla amplior

Potest, magisque optima mactari Jovi,

Quam Rex iniquus.

At CAROLUS Rex, Rex CAROLUS UNDECIMUS, ipsa Æquitas & Justitiæ norma; Pietas ipsa, & Religionis Exemplar; splendidum cælestis Veritatis Delubrum, sacrum sacrae Sapientiæ Sacrarium, luculentum, antiquæ fidei & probitatis Documentum, celebratum exquiritæ Ingenuitatis Castellum, nitidum omnis, quod omnes inter summum habetur, & divinum, divini pariter & humani decoris, cælestis æquè

æqvè ac terrestris amoris, mortalium non minus, quam immortalium divumque hominumque, floris ac favoris Speculum; iste, proh DEUM! CAROLUS; iste, proh dolor! UNDECIMUS, subitanea morte abreptus, fatis inevitabilibus abactus, clade nunquam fatis deploranda nobis abductus est.

Abfit equidem, ut funestissimam tantæ cladis, fataliumque non miserandam duntaxat, sed & incongruam ac inordinatam stragem, ad scrutanda curiosius, quam par est, divinæ providentiæ decreta, & secreta pariter Numinis cœlestis judicia, transferamus. Longioris ævi, rarò, principes esse religiosiores, principis cujusdam inter doctiores Viri, & secretorum DEI investigatoris non postremi, est judicium. Et ne absque judicio judicasse, videatur, hanc adhibet, in judicium, geminam rationem: vel quod citius debeantur cœlo; vel quod vis quædam ignea, Illustrium mentibus indita, mortalitatem citius depascat. Scilicet ut in ætate media, Sol constitutus, radios ejaculatur ardentissimos, quibus & exurit plantas, & vitalem succum perimit: sic, dum ætate florentissima, inoffuscato micuit splendore, splendidissimum SUECORUM LUMEN, omnium opinione citius ac celerius, in pallorem, (proh fati inclementiam!) in deliquium (proh hominum imbecillitatem!) in finem denique; (proh Regum quoque casus imbecilles atque imbelles!) in finem, inquam, & exitium ruit.

Hinc acutissimus ille, qui nostri intra recessus animi æstuat, dolor! Hinc gravissimus iste, qui & ipsa propemodum vitalia pertentat, mœror! Solare, sed & lethale, astrum, morborum intellige, æstuantium vis, mortisque exuberans violentia, CAROLUM nostrum, Solem Orbis Aquilonaris, lumen & numen, ut majestatis terrestre, sic pietatis cœlestis, nimium nimiumque adurens, ferali igne comburi, depasci, extinguere, quid? obfuscare itidem, obscurari atque etiam obtenebrari, fecit; quod dum fecit, pios omnes, mœrore ac dolore, affecit, sed &, ut in promeritas tantæ pietatis laudes ac præconia, solenni ritu, excurramus, effecit.

Non equidem id mihi jam propositi est, nec, si esset, virium luctu torpentium, temporisque dilabentis pateretur ratio, ut in laudes & facta regia Regis, toto, quæ patet, orbe admirandi, excurrerem: quod si esset, REGEM vobis sisterem sui regni DEUM, (cum, afferente Comico, animata imago rex putandus sit DEI,) & Deos inter terrenos, Principem, optimum, maximum, gloriosissimum; REGEM, regia majestate, prudentia regia, regiisque virtutibus, clementia, munificentia, temperantia, modestia, æquanimitate, affabilitate, agilitate, vigilantia, industria, solertia, fortitudine, magnanimitate, pietate, & quæ pietatis summa est, justitia, & quæ virtutum omnium est corona, constantia, verè regium; REGEM, regia de Prosapia, Heroum totius Europæ, fortissimorum, Principumque sanctimonia vitæ celebratissimorum oriundum, semine cœlesti, quod mortalem supergredi sortem, & ad divina perpetranda nasceretur facta, fatum; natum, continuo ad capeffenda maturè moderanda prudentissimè ac felicissimè, Regni gubernacula, sollicitèque educatum; REGEM, non regis saltem stirpis de progenie, sed suometipso genio & ingenio, ita præclarum, ut ad magna ac præclara obeunda, non alienis calcaribus, sed proprio

concitaretur impetu, eaque, quæ fortiter ac prudenter ageret, non tam à magistris accepisse, quam ipse ex se peperisse, cognosceretur; REGEM, & memoria mirum memorabili, & iudicio non minus prodigioso, dotibusque aliis, tam animi, quam naturæ, eminentissimis, adeo pollentem, ut, alter velut Cyrus, Persarum olim Monarcha, inter plebeios de fæce infantum expositus, non bubulci, sed Regis magni, regiique Parentis filius, cognosceretur; REGEM, formæ elegantia, oris pulchritudine, totiusque corporis insigni aptitudine, verè insignem, reliquasque inter hujus seculi Magnatum icones, in tantum assurgentem atque eminentem,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi;

REGEM, imò, alterum Davidem, Israëlitidum quondam Regem, facie rubicundum, aspectu pulchrum, forma decorum; Aristocratem alterum, Rhodiorum olim Ducem, aspectu venerandum, ideoque quem Imperii solio, unanimes consensu admoverent, à suis, Suida teste, dignum iudicatum; vel Olodanorum quoque haud dissimilem Monarchæ, tanta oris dignitate venustateque oculorum, suo tempore, radiantis, ut, referente Cranzio, quod alii armis, ipse oculis, in hostes, egisse videretur; REGEM, regiique non modò vultus majestatem, frontis exporrectæ venustatem, gravem oculorū splendorem, oris decus illustre, & quæ sunt pulcherrimæ imaginis notæ plures: modone Romanorum imperatorum quisquam, turpe iudicet, cum animum habeat homo, laudem ex corpore captare. Quicquid autem ejus sit, cum barbaris etiam hominibus, Curtio assertore, in corporum majestate quædam fuerit veneratio, magnorumque operum non alios capaces putarint, quam quos, eximia specie, præ aliis, natura donare, dignata fuerit: REGEM, ulterius, delicato quidem, sed composito tamen & serio vultu, conspicuum, cujus obtutum gravem, frontisque majestatem, avitæ, non modò, in Aquilonaribus regiis, sed & illustribus Palatinorum ad Rhenum, Bavaricæque Ducum, apud Germanos, dignitatis, purpura commendabat; REGEM, non formæ saltim singularis gratia, sed &, qui huic præsedebat, alto animo & excelso; non corpore tantum vegeto & agili, sed gestibus etiam Regè dignis, instructum, atque ita instructum, ut voce & ore, superciliis item, incessu, totiusque corporis habitu, non nisi gravitatis, comitatis & humanitatis certissimæ, ubique aucuparetur gloriam: nihil fucatum usquam, nihil nuptorum verborum, nihil quod vilissimæ imbelliæ aliquam traheret notam, restaret; REGEM, moribus adeo in primæ quoque lanuginis ætate, venustati corporis, & erectæ procedentis staturæ æmulis, tam gravibus, tam compositis, & clementiæ condimento attemperatis, decorum, ut omnes, quibuscum degeret, grata quædam benignitatis suavitate sibi conciliaret; REGEM exinde, ad speciem quidem & decus, ne alterius, vel ministri, vel magistri, informatione aut exercitatione, indigeret, rarâ naturæ indulgentia, efformatum, & quem virili gravitate, longè supra ætatem, nec infra solii majestatisque, fastigium, generosa indole signaverat, genii principalis character; REGEM, non sceptrum modò, à teneris inde unguiculis, gloriose gestantem, & augusta, in angusto quidem, angusto tamen, corpore, gubernacula fortiter sustententem; nisi Regulum verius quin-

quen-

quennalem: verum etiam, ad quintum, cum decimo, ætatis profectum, citius multò, multoque mirabilius, quàm Cneus olim Pompeius, & Octavius Augustus, Imperatores, acriter & alacriter bellantem; quorum ille, decimo, super octavum: hic nono, super decimum, ætatis anno, civilia bella sustinere; REGEM, ab ipsis incunabulis, Patriæ amantem, eamque adeò colentem, ut ab exterarum sibi rerum cupidine, omni studio caveret, & ne quid in natalis soli debitum honorem impingeret, sedulo provideret: ad remotas diffitasque regiones, profusiore sumptuum dispendio, non excurreret quidem: interim tamen, mores & consuetudines peregrinorum, populorumque aliorum ingenia, ita haberet explorata, ut bonos à malis, facili negotio discerneret, virtutumque splendorem, à vitiorum deformitate, astutiæ fucum à foco veræ sapientiæ, exoptata animi dexteritate, rectè probeque judicaret; REGEM, liberales eqvidem artes, & solidiores literas haud edoctum, nec ad Sophies penetralia, nec mysteria Eusebies, ruminanda, fœdissimo educationis errore, admissum: ingenii autem sagacitate, iudicii que acumine, cum aliis exquisitiore naturæ dotibus, tam luculenter, ditatum, ut, licet omnes argutiarum nodos expedite solvere non potuerit, tamen, quid cum analogia fidei consentiat, quid à rectæ rationis tramite discedat, optimè intellexerit: & quod mireris, Bibliothecas ipse instruxerit, variis, optimis & rarissimis libris refertas, copiosas, magnificas Viros quoque excellenter doctos, & scientia rerum, tum divinarum, tum humanarum præclaros, intimè admiserit, gratiosè foverit, honorificè extulerit: cuius vel unum sufficiat PUFENDORFFIUM, orbis istud eruditi cymbalum, quo nemo unquam pauciora, in regimine rerum humanarum adornando, ignorasse credebatur, adduxisse testem: imò quod profundius mireris, illiteratum Regem, cœlitus desuper, tanto sapientior animavit impetus, ut, sese nihil didicisse, non pudorem, æstimaret, confessus: sed extremæ indignationis tela in illos detonaret, qui celsissimæ suæ lanuginis flosculos, ne guttula quidem eruditioris informationis aspersa, marcescere desidiosè, nî fraudulenter magis, concesserint. Regni, inquebat, discendi Rex cupidissimus, Bibliothecarum alumnus assiduus, scrutator artium ac disciplinarum indefessus; Regni, inquebat, *partem plus quàm dimidiam, spontè ac lubens resignarem, si literaturæ politioris semina, in juventute, saltem aliqua accepissem.* O vocem aliquot triumphis dignam! Sed & me præfente, ex augusto, regii confessoris, ore prolata! Huc oculos, huc aures, delicatuli advertitote (non mea sunt, sed alterius delicatioris Oratoris verba) quibus odio, quibus dedecori videntur literæ. Quid enim indignius, quàm pietatis, morum atque sapientiæ professionem, damnari sæpius à purpura, relegarique ad scholas & pullatam turbam.

Sed ut eò redeam, quo me horum iniquitas, nec non justa Regis CAROLI indignatio abduxit: REGEM, progressu annorum, & crescente cum annis sapientia, in tantum exquisitis efferendum laudibus, in quantum, eruditionis desiderium, cum incremento prudentiæ, experienciæ magistrâ, indies mirificè aucto, in Principum Regumque idea concipi potest; REGEM, indole, ad usum regiminis, amussitata, & exasciata non parum, tot casuum diversitate, qui Imperatorium quotidiè circumfluunt munus, seipsum, quæ rerum summa, quodque omnium est optimum, optimè regentem, proprium corpus, sui juris arbi-

F

crum

trum (ut cum Hipponensium loquar Episcopo) subigentem, recto-
remque sui, nullis animam passionibus turbantem, ne præceps feratur
in vitium, neve captivus trahatur in culpam; REGEM, integrum ani-
mi, mentisque purum, imò talem, qui integrum vitæ suæ iter, inte-
gram itineris navigationem, ita instituit, ut nunquam delicato Syre-
num cantu deceptus, nunquam in Syrtes & scopulos abductus, verum
illud vellus aureum, cum immortali gloria conjunctum, summa
omnium admiratione, gloriosissimè sit consecutus; REGEM re-
ctè omnia & providè, nihil temerè, nihil fraudulenter, agentem,
pensitantem sedulò Isidori illud: *Reges, à rectè agendo, vocatos;* & Au-
sonii Poëtæ:

Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex;

REGEM, integerrimi pectoris, imò ipsius infucatae integritatis adeò
studiosum, ut incorruptam adversus simulandi artes, technas mimi-
cas, & machinationes quascunque alias (inveterata Magnatum Pala-
tium mala!) illibatamque semper conservaret, sinceram suæ majesta-
tis machinam; REGEM, sorte sua omnimodè contentum, nec alienis
bonis ac donis avidè inhiantem, nec vitis instar, brachiis suis, nisi am-
putentur, complectentis omnia & implicantis: quod Erasmi est, in
Regem ambitiosum, & aliorum bonorum cupidum, dixerim: Phi-
lippo potius Macedonum similem, qui in palæstra prolapsus, corpo-
ris in pulvere cernens vestigium: *Papa! inquit, ut minimam terræ par-
tem natura sortiti, orbem appetimus universum?* REGEM, quæ Regni,
non quæ sua sunt, quærentem, publico semper, privato nunquam,
commodo, intentum, dignissimum magis, & planè regium esse, judi-
cantem, quod Seneca, in Troade, dixit: *Præferre Patriam liberis, Re-
gem decet:* vel quod Claudianus cecinit Poëta:

*Tu civem, patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua, te moveant, sed publica vota.*

REGEM, desiderio non alio æstuantem, quàm ut subditis benè sit, vi-
giliis, curis, laboribus, pro istorum salute & incolumitate, absque ullo
temporis perituri tædio, unicè soliciteque incumbentem, sentientem-
que omninò cum Magno Aurelio Cassiodoro Senatore, Viro, sua æta-
te, & divina, ac humana sapientia, eminentissimo: *Eum qui Reipubli-
cæ statum, & generale desideret fastigium, ad universa sollicitum esse debere,
cum non sit salus in corpore, nisi quam & membra possint obtinere.* RE-
GEM, ut populi, commodique publici, amantem: sic amore rursus
civium suorum & eorum omnium, quibus imperabat, tantoperè su-
perbientem, ut, quæ Seneca, de Clementia, ad Neronem: ille sibi, se-
curus admodum, & intrepidus, dicenda eligeret: *Inexpugnabile scilicet
sibi munimentum esse, civium suorum amorem, nihilque pulchrius, quàm
cunctis illis optantibus vivere: neminem esse, sibi, qui, aliquod struere au-
deat, periculum, cum suo sub imperio, justitia floreat, pax & securitas:
suo sub regimine opulenta civitas, & copia bonorum omnium abundet;* RE-
GEM, regni incolis tutelarem, curis vigilem, laboribus assiduum, pe-
riculis imperterritum, uno verbo, optimum, qualem Ægyptii suum,
vel alium quempiam, in obeliscis, aut monumentis, sub anguis solici-
tè vigilis figura, vertice sursum erecto, elatoque pectore sculpebant:
vel,

vel, repetito eodem Symbolo, seu Hieroglyphico, anguem, in orbem collectum, cauda mordicus apprehensa, & Regis nomine, in spiræ medium, adscripto: Regem indigitantes, cui omnia & singula, prima & ima, maxima & minima, curæ semper sint, cordiqve; REGEM, secundum illud Martialis, suorum, quibus invigilabat, quosque curabat sollicitè, haud ignarum, sed noscentem expedite singulos, alterum veluti Cyrum, magnifice semper in eo laudatum, quod exercitus sui satis numerosi milites omnes exacte norit, imò etiam nominibus singulos vocarit: redivivum in CAROLO simulachrum, quod ipse, testis oculatus, vidi, ipse, auritus, audivi & admiratus sum, memor ejus, quod ante allegavi Martialis dixerii:

Principis est virtus maxima nosse suos.

REGEM, & sui Imperii exactam notitiam habentem; quæ facta testata erant, probe provideque custodientem: quæ ruinam minabantur, mature succurrendo: quæ passa jam, magnifice restaurando, curantem, procurantem: structuris item, non à ruina saltem, instaurandis: sed & novis excitandis, affabrè fabricandis, decenter ordinandis, insigniter exornandis, indefessum: id quod vel una Holmia, omnium totius Regni urbium, ædificiorum splendore ac magnificentia, superbissima; & si ab hac discessero, regalis intra eam sedes, Cyri Regiæ, septimo orbis miraculo, candidis utcunque, iisque interstinctis variegatis lapidibus, columnis item aureis, & lacunaribus mirè distinctis, exstructo, haud absimilis; extra illam, tot prætoria, vireta, & villæ, quas vocant, suburbanæ, ad admirationem omnium, & in futuri ævi prodigium, magnificè sumptuosissimeque adornata; templum denique aulæum, reliquaque per spatiosum urbis orbem diffusa oppidana, Dianæ Ephesiæ sacrario, mundi miraculo secundo, vix non secunda, ad oculum probant, manibusprehendenda proponunt; REGEM, ut Patriæ; ut civibus, ut subditis, ut Regno suo: sic exteris quoque: & nostræ imprimis GERMANIÆ, sanguinis sibi nexu propinquiori junctæ, curas, vigilias, studia, PACIS PRÆCIPUE SANCIENDÆ, obnixè impendentem: Eum utique, sapientissimo sacerrimoque delectu, propositis suis & conatibus, præfixerat scopum: adhibita in delectum ratione, quæ Christianas gentes, & fidei, & sanguinis conjuncti testimonio convincat, plusquam civilia esse, quæ inter sese gererent bella: quorum quippe, nec odia sine cognatis cædibus, possint exerceri; REGEM, rebus bellicis, & exercitiis militaribus, non modò ipsum, ad admirationem usque, terra marique, strenuum, sed & equitum peditumque legionibus, alis, quibus ipse spectator adstiti & admirator attonitus, splendidioribus multò columbinis, arte & Marte validissimis, instructum, armatum, invictissimum; REGEM, animo semper præsentem, & in summo rerum discrimine imperterritum, consilio gravissimum, auxilio potentissimum, labore assiduum, & nec Athleticis, nec Antlanteis, defatigandum; REGEM, Consiliariorum Illustrum, comitum generosissimorum, aliorumque excellentissimorum Virorum, illustri corona, non modò illustrissimum: sed & Consilium ipsum, non alienis, suismet potius oculis singula lostrantem; auribus propriis, ad quidvis non attente arrectis, audientem: suo, si quæ difficilia obrepere videbantur, non aliorum vitulo arantem, exarantemque singula, singulorum negotiorum, regii præfer-

præsertim regiminis, ponderosa momenta, suis, non ministrorum, manibus, adeò, ut horis solito pluribus, integrisque sæpius diebus, inferam usque noctem, tribunali adesset regio, collegio interesset Consiliariorum intimo, neque de folio surgeret imperiali, *Cancellariæ*, quam vocant, & quam ipse suam vocabat *scholam*, immotè affixus; REGEM, regiumque ac egregium omninò œconomum, dispensatorem regię familiæ prudentissimum, thesaurizantem semper, nunquam dissipantem, regia bona, suo quæque debito decentique ordine, justo tempore, convenientique loco, nihil confusè, indispositè nihil, disponentem, disposita pariter facta tecta servantem, conservantem; REGEM, & REGIÆ PROLIS simul fidissimum parentem, ducem, PRINCIPIS & Regni & virtutum paternarum HÆREDITARIUM, nunc SUCCESSORIS, toga sagoque eminentissimi, felicitate omni, omnium voto, feliciter, jugiter & constanter, onerandi; fœmineæque non minus SOBOLIS, paternæ alterius, alterius maternæ, aviæque regię, regię singulorum indolis, genuini characteris geminique, curatorem, educatorem, moderatorem, formatorem ac informatorem, miris modis industrium, sollicitum, indefessum; REGEM, regię matris filium, filiali, & si quod proclivius submissiois ac devotionis genus esse potest, obsequio, & diademata regia, & regnum ipsum, & seipsum Regem, optimæ genitrici, ad pedes quasi devolventem, atque adeò impense colentem, sanctissimeque reverentem, ut ad solum matris nomen, non tremere quidem, singularis tamen pietatis & observantiæ signa ederet satis conspicua; conspecta non semel à meipso, teste oculato, ipsoque sub aspectu memoriâ simul ad Saxonum quondam Ducis, JOHANNIS GEORGII, Romani Imperii secunda vice, Vicarii eminentissimi, vereque regii, numisma provolutum; monumentum certe, omni ære perennius, ac posteritati universæ nunquam non commemorandum, ubi adgenitulum, altero poplite, matrem folio collocatam, his verbis affatur filius: UT SALOMON, SIC EGO MATREM! REGEM, inquam, Vobis, Auditores, talem, & in tam illustri majestatis, virtutumque regiarum, præconio constitutum, toto orbe demirandum, laudandum satis nunquam, nunquam digne satis, meritisque sufficienter nunquam, vel ore, vel calamo, deprædicandum, sisterem, si id mihi nunc muneris demandatum esset, pluribus verborum periodis prosequi, quod lachrymis usque atque singultibus fauciato de pectore dimidiate quidem, sed profuse tamen, prorumpentibus nec vi ulla, cœercendis, præter intentionem, & à proposito dicendi que materia nimium exerrans, adduxi.

Ut igitur, unde discessi, redeam, rituumque sacrorum repetam usum, sacrum, pium, religiosum, religiosissimi quondam, pii, & sacratissimi Regis, CAROLI XI. Arctoi orbis Monarchæ, dum viveret, & poli Ecclesiarum arctioris, Hierarchæ felicissimi, vindicis cultus religiosi gloriosissimi, ordinis, status ac regiminis Ecclesiastici, rituumque adiaphoriæ censoris, moderatoris, defensoris, acerrimi, oculatissimi, mirumque industrii, ne memoriam deponam, sed iterum iterumque repetam, ipsius substratæ materiæ ductu, rituumque plenius planiusque proponendorum jussu ac auctoritate, moveor, adducor, impellor. Polycletum accepimus, libello, quem olim, de arte Phidia, conscripserat, omnia licet, quæ statuam hominis affabre sculpturo

pturo essent observanda, exactè delineasset, non tamen fuisse contentum: sed simulacrum insuper addidisse, cui dictæ artis præcepta, vivis velut lineamentis, appicta, & tanquam ex lege petita, proposuerit, hæc additâ Epigraphæ: Canon! Canonem ejuscemodi, sacrorum rituum & ceremoniarum Ecclesiasticarum, exquisitissimum, omnibusque numeris absolutum, CAROLUM dicam UNDECIMUM, statuarium, in hoc genere, non libris modò ritualibus, sed suimetipsius exemplo, lineolis ad legem divinam, veterisque Ecclesiæ instituta, ductis, consummatissimum.

Nusquam enim unquam, usum rituum Ecclesiasticorum, & institutum, & destitutum merito, & restitutum conspiciemus, quàm si incomparabilis Regis CAROLI, indefessum in iis rite constituendis studium, acerrimum in destituendis malè constitutis rigorem, ferventissimum denique in restituendis perperam destitutis ardorem, penitus non nihil profundiusque intuebimur.

Non ego, me-DEUS! credite mihi, Auditores! tam sancte juranti; non ego, Vobis, inquam, ea saltem recitabo, quæ, ex ordinationum ritualium commentariis, vel ex quorumcumque testimoniis, cum in Aquilonaribus istis oris, ab ore gentis illius integerrimæ dependerem, legi ac audiui: quæquam & iis fides indubia, ob integritatem illius decantatissimi populi sit habenda: verum potius, quorum ipse spectator fui haud desidiosus, observator curiosus, admirator industrius, ac pro eo, quod demandatum mihi erat, munere ac negotio, testis nunc, ex oculata fide, ocularis. Spectator eram rituum à Sceptro Carolino regalium institutorum, sub censoria ejusdem virga destitutorum, restitutorumque baculo imperiali; usum observabam eum, ac talem, quem, & apud nos, in decentibus restitui, destitui in futilibus & noxiis, quin etiam in utilibus & honestis institui, medullitus optabam; quemque mecum omnes, apud omnes verarum Ecclesiarum cœtus, reperiri, si modo pii sunt, & boni ordinis ac decoris amantes, seriò optabunt.

Optabant Veteres, Solis ortum, festo Paschali, spirituali somno sopitos, ad gloriosam Christi triumphatoris resurrectionem ritè meditantiam, maturius excitare, trinam inde, summo mane, ejusdem saltationem, commenti: ast CAROLI Regis, in hoc studio indefessi, regni conatus, instituto, biennium ante, circa solstitium æstivum, boreali itinere, Solem sibi, suisque, nunquam non ad scrutanda divina cujuscunque generis beneficia, inocciduum salutavit, SOLI IN OCCIDUO SOL OBVIUS ALTER: ut cusa, in ejus rei memoriam, numismata regio mihi dono oblata, oblatum itidem, de *Refractione Solis inoccidui*, eruditissimum scriptum, ejusque elegantissimæ pagellæ, loquuntur. Sed & qui, ejus refractione Solis, non excitatur spontè, ritu tam decenti, quàm piè sobrio, per proceræ staturæ virum, baculo oblongo, sub sacris, cœtum Ecclesiasticum, absque tamen tumultu, ambientem, dispicientemque, ut somnum frangat, ictu capiti intentato, excitatur invitus, rubore confusus.

Optantur piorum multi, ut pii Cæsaris CONSTANTINI exemplo, stantes plerique, conciones sacras, audirent; vel surgerent, ad minimum, quibus, inter concionandum, somnus obrepit, dictis, eò majori atten-

attentione, attendentes. Riturum illum, imò illustriorem adhuc, alter
Constantinus, CAROLUS Suecorum Magnus, instituit; ea quippe,
sub verbi divini interpretatione, cœtus attendit reverentia, ut dicta, ex
sacris, per interpretem homileticum, prolata, potiora & extantiora,
quæ cardinalia vulgo vocare solevimus, sonora omnium voce, devo-
tione, me-Christe! incredibili, pronunciet, oraque prædicatoris ori-
jungat, imò verò, denunciante verbi præcone, iram DEI, iramorige-
ris, quilibet, cum Publicano, ingemiscat: *Propitius esto mihi, DEUS!*
peccatori! Solatio, è contra, afflictos erigente, ista sint, cœtus publici
suspiria: *Obsigna hac, Deus, in corde nostro, spiritu Tuo promissionis sancto!*
Istine, pii sunt, & illustres, illustrissimi pientissimique Regis, Ritus, ri-
tè ac piè instituti?

Optandum utique, & laborandum eo omnimodè esset, ut in qua-
vis Republica bene constituta, sacrorum, tam ante-quàm pomeridia-
norum, tempore, plateæ, quin & domus nonnullorum visitarentur,
ne discurrentium hinc inde, vel bacchantium ibi, alibi otio torpentium,
vel clandestinè etiam, ubi-ubi, manuum operibus, die Sabbatho pro-
hibitis, incumbentium, tolerentur prævaricationes. Riturum hunc, o-
mnium calculo approbandum, Rex CAROLUS, Reipublicæ Christianæ,
fidus quondam lucidissimum, ita instituit, ut milites, armis, ad coer-
cendos præfractos sacrorum violatores; inquirendos item, domi deli-
tescentes, & impia tractantes; aut etiam vagabundos per plateas ad
custodiam deducendos, admodum accommodis, peculiariter instru-
ctos, constituerit, qui, nullo ullius, etiam autoritate aliàs gravis viri,
ne regia profapia oriundi, habito respectu, indistinctim, quemcunque
obvium habuerint, abripiant, constringant, abducant, pro meritis de-
icti pœnas luiturum.

Optandum omninò, imò votis calidissimis est suspirandum, mo-
dum catechisandi alium, magis industrium, imò verò & senibus decre-
pitis, & juvenibus Viris, & pueris puellisque proficuum magis, ubi vis
locorum, ubi Christo Ecclesia colligitur, institui tandem aliquando,
ac introduci. Phosphorum, hac in parte, Ecclesiarum reliquarum,
omnium, facem singulis præferentem, jubar rituum Ecclesiæ Suecicæ,
Serenissimi CAROLI Regis face, accensum, nominare ac deprædicare,
jure possum, cum doctrinæ catechetice radios, modo methodoqve &
facili & amabili, per omnes omnium totius Regni, & Provinciarum,
civitates, vicus, domus, & harum incolas singulos, tanto illuminatio-
nis ac informationis splendore, & tam mirificè, sparsos ipse repererim,
ut certo constet, constitisse quotidie Regi plane divino, & tantum non
omniscio, quid quisque subditorum suorum, (at quantum numerus?
quam innumerosa frequentia?) imò, quod magis adhuc mirandum, cu-
juslibet incolæ liberi, servi, servæque, quoad principia pietatis & do-
ctrinæ, calleant, quid verò non? Mirum dictu, creditu, inquietis, Au-
ditores! impossibile; Sed rationem modumque rei percipite. Fami-
liæ singulæ, singulis Dominicis, finita concione, ad certum septimanæ
diem, ut peractis, quæquæ feria, sacris matutinis ac vespertinis, ad exa-
men convenient catecheticum, loco templi, ad id, destinato & con-
sveto, invitantur; comparentes, parentes primo, dein liberi, cum ser-
vis

vis, utriusque generis, capita doctrinae christianae recitant, parochi interim tabellam manibus versante, in qua adscriptis singulorum nominibus, distinctisque certis lineolis doctrinae capitibus, si quando error, a recitante, committitur, aut ignorantiae aut negligentiae crimen occurrit, confestim annotatur, utque propediem corrigat, adstringitur, alio comparitionis termino praescripto, eodemque iterato, & vel priori errore repetito, vel debite emendato, ad Episcopum consignatio transmittitur, qui eandem Archi-Episcopo offert, regiae Majestati, concinno compendio, offerendam. Magni olim nominis, Gerson, Cancellarius Academiae Parisiensis, in admirationem nonnullorum devenit, quod Catecheta simul exititerit, librumque de pueris, ad Christum trahendis, scripserit, quo, in mediis adulti Papatus tenebris, stricturas lucis & veritatis, pluribus, candidè monstraverit: quanto autem magis mirandum, & omni superius admiratione judicandum, quod CAROLUS, non Regis Cancellarius, sed Rex ipse, imperiali purpura suspiciendus, onereque regiminis, tot Regnorum, tot Provinciarum, tot ditionum, jam ante, satis superque onustus, iis nihilominus operam suam addicendam, non dedignabatur, quibus, ex faece plebis, homines, vix occupantur.

Tales igitur, & ejus generis longè plures (quis enim omnibus enumerandis sufficit?) saluberrimarum constitutionum ritus, rituumque insignium constitutiones, Rex Svecorum, CAROLUS UNDECIMUS (O nomen, millies exosculandum, devenerandum, toto orbe, Orbis Numen!) instituit, institutasque, spectantium summo cum stupore, religiosissime servavit, conservavit.

Dies me deficeret, si ferias, quas idem, eodemque Zelo, institutas, observabat, ante-Sabbathicas; visitationes privatorum domesticas; pauperum curam eleemosynariam; viduarum sacerdotalium fiscum, seu, quod ipsis conceditur, gratiae, ut nuncupant, unum, alterum meriti annum, post obitum mariti, singulis parochiae redditibus usurpandis, sibi vindicandum; magnifica, advenis ex Papatu, & vel conversis, vel denuò convertendis, asyla, stipendia, unde, & ubi, in vera Religione commodè informari, & liberaliter sustentari possunt; quotidianas Bibliorum, certisque per annum numeris, & serie dierum ac hebdomadam perpetua, institutas Lectiones; librorum symbolicorum, statis temporibus, repetitiones assiduas; selectiorum canticorum ac Psalmorum ordinem, nec nimia varietate & copia fastidiosum, nec nimis paucitate inopem, minus multò, senili semper, & anilium rythmorum, chorda, cum tædio, oberrantem, sed purè & eleganter, quantum linguae patriae admittit genius, resultantem; confessionis privatae privatos ac singulares usus; salutare eosdem, sub cœna dominicae usu, usui non modò communicantium maximè decoros, sed & temporis compendiosae rationi accommodos; Si hos, inquam, usus, aliasque copiosius enarrare deberem, piè à pio Rege, vero veræ pietatis exemplo, ceremonias institutas.

Sed nec destitutas, quæ vel ex Papatu erant residuæ, vel ab hominibus, novitatis avidis, & ad superstitiones proclivis, invecatæ, vel veterum illaudata consuetudine retentæ, ob temporis penuriam, eo, quo decet ac debet, modo, recensere possum.

Maximum honestæ recreationis monumentum, divitiarumque regiarum ornamentum, curiosus Rex, in exoticarum rerum, & antiquitatum, collocabat, abundantia: sed sanctarum, ut Pontificiis audiunt, reliquiarum ceremoniæ, nullum in pectore ejus sancto, reperiabant æstimum, vestigium, in scrinio curiositatum, nullum. Ethnicorum antiquorum antiqua templa, idola, aliaque fanatica, præsertim ea, quæ UPSALIA adhuc habet ANTIQVIOR, ut documenta, intuebatur quandoque, cultus majorum suorum idololatrici, ex animo, eo magis detestandi: at verò, quæ nos inter, in Imperio Romano, nocte natalitia & paschali; feria item Johannitica; aliisque festis diebus, exercentur, plebejorum phantasmata, ad orcum relegabat, vicumque, vendentem thus & odores. CAROLO pio, piè demortuo, regni adhuc gubernacula moderante, nulla in oris septentrionalibus, quibus antea scatebant, sortilegia; nulla, imminentis novi anni, vana præfagia; Diana nulla, nullumque ejus, quod vulgo creditur, & superstitiosè asseritur, cum suo exercitu, ambulacrum, reperiabatur. Nemo est, qui falis acervos, futura cogniturus, ponat; calceos per caput jactitet; arbores cingat; micas panis ac fragmenta superstitiosè colligat; rosæ Hierichuntinæ flores observeat; venæ-sectiones equorum, die Stephani, Martyrum primicerii, instituat; sub Regum pseudotrium larva, cum stella chartacea, & cantiunculis venalibus discurrat; castigationes ridiculas & pueriles, hominum utriusque sexus, exercent; Christianorum passionalia, in Ethnicorum bacchanalia, transformet; facies hominum ad imaginem Dei conditorum, larva Dæmonis, cooperiat; aliosque, ex gentilismo, relictos, ritus ac usus, revocare audeat: siquidem, interdictis regiis severissimis, omnes isti, ac singuli, diutissimè sunt destituti.

Ornandis nescio, an deformandis? nostris oratoriis ac templorum ædificiis, gladii defunctorum nobilium, sanguine occisorum vix non adhuc madidi, & vexilla, apud nos, suspenduntur, superbæ ut plurimum vanitatis signa, & stultæ præsumptionis signacula: nihil ejus stultitiæ, nihil superbiæ tantæ, & vanitatis, Sueonum templa admittunt, nedum solemnî ritu suspendenda.

Carmina funebria, nuptialia, genethliaca, vel rara admodum, vel penitus nulla: vitæ, quæ finitis funebribus concionibus legi suevimus, curricula, seu, ut alias audiunt, *personalia*, non phaleratis verborum parasangis, non vanis avorum, proavorum, atavorum, tritavorum, abavorumque; & nescio quorum non majorum, spectris, umbris, titulisque umbrosis, incrustata: sed simplicia sunt, sana, vera, & ex vero congesta.

Theatrica, quæ apud nostrates obtinet, plus confusionis, quam devotionis, excitans, Mulica, tubis, fistulis & sambucis, omnium aures, perstrepsens, omninò ibidem valere jussa: retenta solum ea, quæ vox & instrumenta, in DEI laudem, elevantur.

Nundinæ, quibus sancta Sabbathica, impiè profanantur, tanto rigore deprehenduntur abrogatæ, ut ne umbra illarum supersit.

Ad baptisteria cum infantes apportantur, patrini, literis invitati, templum adeunt, ad baptisterium accedunt, domum inde, absque ullo comitatu, unde & quomodo venerant, iterum discedentes, ne numulo infanti, vel ipsius parentibus relicto, nec convivio baptismali ab his, vel

levif-

levissime instructo: Sumptuum horum utrinque impiorum usus, quo sanctior apud nos præposterè habetur, eo severius ab ipsis relinquitur destitutus.

Destitutis, ut restitutos nonnullos continuò addam, festis potissimum diebus, & dominicis, ad ritum primitivæ Ecclesiæ consuetum, parvulorum baptismum peragendum, adeòque infantem, totius cœtus precibus, DEO commendandum, contendunt. Ostiarios, sacrorum custodes, quos vetus Ecclesia, licentiæ, sacra, pro lubitu, deferenda, refrænandæ, constituit, restituerunt pariter, ut nec ullus, nisi impertita, à sacerdote, benedictione finali, dimissus, egredi fuerit ausus. De disciplina Ecclesiastica, omnibus numeris, ad veteris Ecclesiæ usum ac consuetudinem, revocata, & ex voto in integrum restituta, multa essent addenda, quæ autem nec paginæ angustia, nec temporis dudum elapsi admittit ratio.

Unicum addam, de Genuflexione, inter precandum, publica (rara Palatinis arcibus devotio! Molestus ac invisus precandi ritus!) non inferioris saltem fortis hominibus, sed & regni proceribus singulis, quid ipsi Regi, vero alteri Theodosio (quem identidem, flexis subinde genibus cultum peregissee divinum scimus,) regisqve familiæ in universum omni, adeo, & tanta cum devotione, recepta, ut Regem, & Regis matrem, Regiamqve, utriusque sexus, sobolem omnem, quoties vel publice, vel privatim, preces effunderent, humi prostratos, imò ne culcitra tenellis poplitibus substrata, saxeo pavimento affixos, diuque satis hærentes, attonitus viderim; quid, inquam? CAROLUM, incomparabilem arctoi orbis tam latè patentis, Imperatorem, moderatorem Regiminis tot Regnorum ac Provinciarum augustissimum, Regem regia maiestate, auctoritate, splendore, fulgidissimum, unà cum PRINCIPE HÆREDITARIO, ad fastigium solii regalis nato, medios inter milites, patentiqve in campo, arenosæ adhærentem terræ, flexisque, per integrum, Deo, a militum turba, præstitum cultum, genibus, finem sacrorum expectantem, cum stupore vidi. Vidi, nec potui, quin profusus, in tanta pietate, ac ob cultum tam religiosum, lacrymis, idem, quod admirandus, de Theodosio, Ambrosius dixit, miles, & piè lætabundus, repeterem: *Quod erubescunt privati, non erubescit Imperator; quod molestum ducunt plebei: jucundum reputatur pio Regi.*

O Regem vere Christianissimum! Regem, immortalitate dignissimum! Regem tantæ pietatis ac devotionis fulcris suffixum, nullo unquam factorum icu feriendum! Sed eheu! Necessitati tamen factorum erat parendum. O tristia fata, fatalia sanguineis lacrymis deploranda! Siccine igitur, nec pietas, nec candor, nec religio, nec virtutum integritas, nec regia maiestas, à fati necessitate libera est, & secunda? Ut quid, qui rituum usus perverfos tanto valore ac fervore, ab universis Regni sui terminis, exterminare, & abolere ritè poterat, non poterat injuriosæ mortis avertere perverfos ritus? Ut quid, qui rituum sacrorum usus tot laudabiles & salutare, aliorum conservandæ salutis, vitæque prorogandæ gratia, instituit; ea etenim est pietatis remuneratio, Vita longæva, & spes salutis: ut quid, inquam, non propriæ salutis, vitæque, adversus mortis præmaturæ impetum tuendæ instituta condidit, & constitutionum ritus? Ut quid, qui restituendis rituum sacrorum usibus sacris, piis, religiosis, adeò desudavit, omnemque operam impendit, non sui ipsius restitutionem, tot piorum votis desideratam, tot fidelium desideriis expetitam, tot desideriorum suspiriis effla-

gitatam, Imperio non patrio saltem, sed & qva patet orbis christiano, veri cultus divini cupido, rituumque ad cultum spectantium studioso, redere poterit restitutam?

Commodum memoriae occurrit, quod CAROLO quondam NONO, Svecanicæ Gentis Regi, succumbenti ferè, in prælio, cum Polonis, Kirchholmenfi, generoso de Comitum stemmate, perstrenuus in occursum venerit, fidusque in Regem, Henricus Wrede, devictumque ab hoste, & non nisi fuga securum, admonuerit, instanter, atque etiam summopere petierit, equum, quo vehebatur, lassum nimis ac defatigatum, ut dimitteret, suumque, prioris vice, viribus adhuc integrum, & vitæ periclitantis, ex orci faucibus, eripiendæ, idoneum, acciperet, quo accepto, præsentissimæ mortis periculum, fugâ arreptâ, declinavit, vitam salvavit, salutem patriæ ex voto servavit, conservavit. Optarem equidem atque iterum optarem, vel ex illustri, quæ adhuc hodie in istis oris auram haurit, generosissimeque floret, (floreat porro, felicissime & in canam usque posteritatem! quis piorum est, qui mecum non devotè voveat) generosissimorum Comitum de Wrede, profapia quisquam, vel alius integer vitæ, vel viribus ego non impar, extitissent, adstitissent, Regi in agone versanti, & cum immani mortis hostilitate extremè dimicanti, mediaque suppeditassent elabendi, cum vinci jam cerneretur Rex aliàs invictissimus, & duro fatalium telo prosterri, qui hostibus, hoc uno excepto, quibuscunque aliis, nec cedere unquam, sed stare bellando, vincendoque noverat triumphare!

Cræsi Lydorum Regis, filius Atys, Herodoto, antiquissimo Græcorum Historico, referente, cum Sardinia, urbe, à Cyro, Persarum Rege, direpta, unus ex militum turba, in Patris cubiculum profiliret, eique stricto gladio mortem minaretur, linguæ licet erat impeditissimæ, diducto tamen, in summo illo angore, ore elingui, solutoque derepentè linguæ vinculo, voce quàm poterat intentissima, exclamabat: *Parce miles, Rex est!* Idem & ego, Auditores! tempore illo, & Regi CAROLO, & orbi Christiano universo, præcipuè autem nostro PRINCIPATUI, funesto, voce, quæ potuissem, maxima, clamassem, si mortem, jaculis suis, CAROLO IMPERATORI insidiari vidissem: *Parcite Parce, REX EST, CAROLUS EST, IPSA PIETAS EST, IPSA RELIGIO, IPSA VIRTUS, IPSA VIRTUTUM OMNIUM CORONA.* Sed O Parcas immani manu minimè parcas! Frustra hæc meditor, irrita vota fundo. Nec enim irritos reddere potero fatales fatorum ritus, rituumque mortis, ut perversorum, usum destitutum.

Quid igitur restat? Ut VALE Tibi dicam, REX GLORIOSISSIME! sed & valere simul fatalia jubeam, ac devicta, quæ victus occubuiisti, mortalitate, reddam Te immortalem.

VALE! dicam. Sed O luctuosum VALE, VALE verbum triste! Cui, elapso vix anno, singulari Numinis providentia, Regisque mira Indulgentiâ contigit, ut læto latoque ore, libero ad Regalem Thronum concessu accessu, auderem dicere: AVE! SALVE! Eidem mihi nunc rauco distortoque ore, duro fatalium & immani imperio, dicendum injungitur, triste VALE. Recordor adhuc, sed absque singultibus nunquam, quàm tragico valedicendi actu, ultima devotionis solennia exsolverem, cum valere Regem feliciter, & ex voto, vota præsens darem ultima. Non itaque mirandum, si, ob funestum hunc, & nunquam satis deplorandum, nunquam, in hoc quidem seculo, recuperandum discessum, Regis desideratissimi,

fimi,

simi, exoptatissimi, quid? expectatissimi (O expectationem expectatione frustratam!) in tantum incidam mœrorem, quantum intimè persentiscunt illi, qui lætissimum: AVE! dulcissimum: SALVE! ferali & ferè non execrabili vocum rerumque catastrophe, in tristissimum acerbissimumque commutare adstringuntur: VALE! Quicquid autem ejus sit, constringor tamen, vocibusque ad fletum, ad planctum, ad ejulatum, compositis, funestè cogor denuo ingemiscere: VALE!

VALE Rex gloriosissime! CAROLE, Suecorum Monarcha, VALE!

VALE Tuorum decus & desiderium! Exterorum amor & gaudium VALE!

VALE Regni Tui Numen ac columen! Germaniæ spes & fulcrum VALE!

VALE regiæ Matris delictum! Præsidium Proles regiæ VALE!

VALE regionum Corona Consiliariorum! Consilium coronæ, Senatusque VALE!

VALE Comitum Ornamentum, Nobilium Decoramentum VALE!

VALE salus civium, firmamentum subditorum VALE!

VALE Holmiæ urbis Regiæ, pignus celsissimum! Sidus orbis totius illustrissimum VALE!

VALE tot bellorum exanthlatorum Athleta! Atlas atlantæ pacis VALE!

VALE monstrorum domitor Hercules! Hostium terror & ultor Achilles VALE!

VALE sapientum Apollo! Mæcenas eruditorum VALE!

VALE stupendum prudentiæ oraculum! miraculum virtutum orbi demirandum VALE!

VALE Purpura augustalis! augustale Majestatis sceptrum VALE!

VALE Imperatoris corona regalis! Regis diadema imperatorium VALE!

VALE REX CAROLE! CAROLE æternum VALE!

VALE cœli immortale depositum! prodigium perenne mortalium VALE!

VALE! O REX! æternum VALE!

Et vox, ubi, præ mœrore deficit, singultus denuo, gemitus ac suspiria accipe illa:

VALE, VALE!

Antequam autem vox omninò deficiat, præcludanturque penitus ora, mœrore gemituque nunquam deponendo, CAROLO REGI immortalis, exergastulo caliginosæ hujus mortalitatis, & ingentibus, quibus catenati mortales hærent, miseriarum compedibus, erepto; libertati verò verè regiæ restituto, perpetuæ quieti reddito, ac æterna felicitate donato, coronato, promissi non immemor, nec debiti, quo constrictus maximè teneor, debitè exsolvendi oblitus, quod, temporis injuria præclusus, mortisque præmaturæ haud expectato interventu impeditus, non præstiti, neque præstare famosum officium potui vivo, mortuo retribuam, pietate, qua decet, quaque possum suprema, supremum. Immortalitatem autem Regis immortalis, non eam tantum adstruam, ad quam, relictis hisce mortalibus tenebris, discessum paravit, cum æternitatis illam, veræque beatitudinis lucem accederet: sed & illam, qua etiamnum, post fata, inter mortales immortalis, nominis scilicet nunquam intermorituri, gloriæ nulla ætate peritura, memoriæ, ne quidem cum ipsa oblivione evanescente, unquam aut ullibi interitura, gloria gloriose vivit. Utinam autem adeo faveret sapientiæ Numen, tantum mihi esset eloquentiæ flumen, ut nomen CAROLI SUECORUM REGIS UNDECIMI, immorta-

litatis cedro affigendum, æri æternitatis incidendum, marmoreisque me-
 moriæ nunquam delendæ custodiendum faxis, tot laudum præconiis asse-
 qui, tot præconiorum titulis prosequi possem, quot factis gestisque He-
 roicis, quot rerum sublimissimarum prodigiis, quot mirandis illustrium a-
 nimarum exercitiis, quot exantlatis sæpius regii muneris, & decantatis
 undique, præduris laboribus, quot ingentibus inaudito Heroici impetus
 compendio, emensis facinoribus, famæ æternantis, laudumque ac hono-
 rum veræ immortalitatis, velut quodam effedo, non Arctoum modò,
 sed per omnem omninò terrarum orbem; nec Aquilonem tantum, sed ul-
 timas quoque, totius orbis, plagas, idem, jam dudum celebratur circum-
 vectum! Sed enim verò hoc ipsum est, quod immortalitati NOMINIS CA-
 ROLINI, demum addere, & pietas iussit, & jure exegit debitum; vel si quid
 aliud, aliud certè nihil est, quàm ut Te, CAROLE REX IMMORTALIS
 (quem tandem, indultu Tuo benignissimo, finislessus hujus ritualis com-
 pellat) immortalitate dignissimum, novo, qui sub manibus est, ad Tuum
 Canonem, jussu SERENISSIMI nostri, exactè efformando, eundemque ad u-
 sum rituum Ecclesiasticorum, institutum antiquitus, pressius observan-
 dum; destitutum perverforum plenius planiusque averfandum; piorum
 autem, & qui cultui divino ritè inserviunt, restitutum redintegratumque,
 desiderata diu & decenti conformitate, conservandum, Principatus nostri
 Ecclesiis, commendando, Rituum sacrorum libro, Tuæ nunquam obli-
 terandæ memoriæ perpetuo documento, & nobis, & aliis, immortalem
 efficiamus, id est, talem, quem cordi nostro, quousque vivimus, devo-
 tissimè venerandum, imprimimus; ore, ad extremum usque halitum, glo-
 riosè deprædicandum, eligimus; opere demum, dum spiritus hos reget ar-
 tus, quæ ad nominis Tui augustissimi perenne decus, conducere, vide-
 buntur, promptè ac expedite adimplenda, decernimus, ritibus, Deo gra-
 tis & ad Ecclesiæ ordinem conducentibus à Tua pietate edocti, tua pru-
 dentia instructi, tuo consilio & auxilio armati, quoties isti quidem, in po-
 sterum, ritè tractabuntur, Tibi pariter, solennes ritus, memoriæ nunquam
 intermorituræ, gratiasque, pro regia, quâ nos immerentes profecutus es,
 gratia & clementia, immortales oblaturi, eaque submissione nunquam fi-
 nienda, ex obliviosæ mortis faucibus mortalitatem Tuam, erepturi, atque
 æternum rituum æternorum, hoc est, extremæ devotionis, monumentum,

IMMORTALITATI
CAROLI UNDECIMI,
 REGIS SUECORUM OPTIMI MAXIMI,
 VITA MORTALI,
 RITU MORTIS CONSVETO,
 DESTITUTI,
 SED IMMORTALITATI VITÆ COELESTIS,
 RITIBUS DEO USITATIS,
 RESTITUTI,
 NOMINIS AC FAMÆ ÆTERNANTIS
 IMMORTALITATE,
 RITUUM USU PIIS OMNIBUS RECEPTO,
 ET OLIM, ET NUNC, ET IN SECU-
 LUM ÆTERNUM INSTITUTI,
 RITE RATEQUE ERECTURI
 DIXI.



JOHANNES GEORGIUS PER TSCHIUS,
SS. Theol. Doct. Sereniff. Marchioni Branden-
burgensi à Consiliis Ecclesiast. & Superintendens Wonfi-
deliensis,

V I R O

Summè Reverendo, Magnifico atque Prænobilissimo,

DOMINO

HEINRICO ARNOLDO
STOCKFLETH,

S.S. Theol. Doct. Serenissimo Marchioni Bran-
denb. itidem à Consiliis Ecclesiast. nec non totius Marchionatus Supe-
rioris, Superintendenti Generali, Concionatori Aulico Supremo, Il-
lustris Consistorii Assessori Gravissimo, Collegii denique Chri-
stian-Ernestini Directori usque quaque
Solertissimo,

Dn. Fautori suo piè devenerando, Collegæ sum-
mopere æstimando

χάρις ἡμῖν καὶ εὐεχία

SI, quod post Sallustium Sidonius ille Apollinaris dixit:
Idem velle, idem nolle, ea demum vera est amicitia!
Habeo certè, VIR MAGNIFICE, quod de vera sinceraque, quæ Tecum mihi
intercedit amicitia, glorier, mihiqve gratuler. Tantus etenim est animo-
rum utrinque consensus, & tantus affectuum concentus, tanta voluntatis con-
cordia, ut nihil serio velis, quin & ipse votis id expetam omnibus; nil mo-
liaris, quin & ipse huc, ad motis quibuscunque machinis, strenue conten-
dam, contentus si exploratis etiam lacertis omnibus, in secundis solum ter-
tiisque consistere licet. Literaria imprimis exercitia quod attinet, nihil fere
Tua meditatur Clio, quin & illo ipso tempore, in eodem studio, mea quan-
tumvis humiliter paulo incedens Thalia, occupetur. Atque ut ne longius mea
evagetur oratio, totus, eheu! in eo eram, ut in Synodali mea panegyri, pro-
ximis obhinc diebus celebranda, Potentissimo olim, nunc Beatissimo Sueco-
rum, Gothorum, Vandalorumque Regi, CAROLO hujus nominis XI, non
Svecie solum suæ, sed universæ Reipubl. Christianæ Atlanti; CARALO, in-
quam, cujus vel nomine audito, aliquid mortali conditione majus atque
divinius oculis animisque obversatur, justa parentalia persolverem.

Ast arduum isthoc dum molior opus, certus mihi affertur nuncius, Te jam,
VIR Θεοφιλέτα! hanc occupasse provinciam, inque annuâ Synodo, nuperius
habita, Splendidissimaq; Sacerdotum Ephoriam Tuam specialem agnoscenti-
um,

I

rium, corona, & nitide & luculenter de hoc tanto MONARCHA perorasse.

Sane quod Plinius Secundus, de Virginii sui Rufi, ni fallor, fati iudicat, post funera demum supremum hunc felicitati ejus cumulum accessisse, ut nactus fuerit Laudatorem eloquentissimum, Cornelium puta, cognomine Tacitum; id erat, quod allato hoc nuncio, huc adcommo- dabam.

Quamquam autem, Oratorum disertissime, si Tuam considero eloquentiam, & quam redivivum in Te habeamus Chryfologum, metuen- dum mihi sit, ut post copiosam Tuam messem, ullum relictum mihi fuerit spi- cilegium; Attamen si in Regem, τὸν Μακρὰν ^{Ἰν} defigo oculos, in perscruta- bilem quandam abyssum, inexhaustumque veluti laudum Oceanum me de- prehendere sentio, ita, ut citius materia edisserendae Oratores, quam Orato- ribus dicendi materiam existimem defuturam, ut non tam perquirenda sint dicenda, sed potius dispiciendum, quae ex infinita dicendorum sylva rescan- da. Nullam imo tam felicem tamque exercitatum credo facundiam, quae de CAROLO REGE ita edisserat, ut non plura semper, eaque forte majo- ra laudum praeconia, relinquuntur.

Hinc itaque dabis veniam, ut, licet post Roscium occupare rostra, post Homerum pangere Iliada, &olorino Tuo cantui anserinum admiscere stre- pitum nolim, Tibi tamen, velut ἐν Ἰσῶν indicem, quae propositorum meo- rum summa, summaque rerum capita fuerint, quae dicendo fusius persequi apud animum constitueram meum, si quidem in istud dicendi stadium, exa- rescente jam, si quae in me fuit, Orationis vena, me recepissem.

Diu equidem multumque ingens me cura atque sollicitudo detinuit, et- quod in primis in tam ubere dicendorum proventu eligerem thema, quas- que orationi meae oleas ponerem, ac veluti in trutina positus, modo huc, mo- do illuc ferebar.

Nunc tres sese mihi Coronae in Insigniis Regiis verè insignibus offe- rebant, quas ut Symbolicas esse dubitat nemo, ita, missa tantisper Heraldica expositione, animus mihi erat, huc adcommo- dare, acutam illam atque undiquaque exasciatam antiquorum Rabbiorum sententiam: Tres esse co- ronae, magno in pretio a quovis habendas; Coronam Legis; Coronam Sa- cerdotii, & denique Coronam Regni, quas tamen quarta, Corona nominis, superemineret omnes. Ac quod REX tanti nominis, tanquam entheus quidam divinae legis Custos atque Assertor; Sacerdotii undique alias sup- pressi stator; Regni gloriosissimus Administrator, tribus illis prioribus fuerat inclutus, hinc quartam nunc, nominis nempe nunquam intermorituri co- ronam, gloriosissime adeptum, fusius non nihil rebar exponendum.

Nunc bini Leones, cum jubeis promissis, & mansuetè sibi obversis, quos Ericum primò Regio intulisse clypeo perhibent, oculis obversabantur me- is. Ac tantò adcommo- dam magis leoninam hanc fore speciem, mihi serio persuadebam, ad illum ab Aquilone Leonem exprimentum, quo magis habebam perspectum, Agapetum in Paroenetico ad Justinianum, Didacum Saavedram, ipsum imò MAGNUM GUSTAVUM ADOLPHUM, gloriose me- moriae Regem, sub Leonis effigie, diversas, quae Regium decent animum, virtutes, expressisse.

Fulste

Fulsi verò ☉ occiduis ille inoccidui Solis Sol, multumque adhuc jubaris mihi offudit. Atque ut ut, ceu verè olim Magnus ille Pompejus dixit: Plures adorent Solem orientem, quàm occidentem; ego tamen ita apud animum id in Solis apricum perducere, constitueram, defunctum RE-
GEM CAROLUM, omnia Solis munia quam laudatissime præstuisse.

Omnibus acceptum fundens solatia terris.

Neque enim solùm illud Thracii Leonis: Sicut Sol cunctis quæ illustrat, non nihil impertit calor; sic Princeps debet eos dignari benevolentia ☉ gratia, quos intuetur, probe ob oculos habuit. Non Epicteteum solummodo monitum pensitavit: Quemadmodum Sol non exspectat preces, ut exoriatur; sed illico fulget ac salutatur ab omnibus; Ita nec Tu, Rex! exspectaveris plausus, strepidus ac laudes, ut benefacias, sed sponte conferes beneficia, ☉ æque ac Sol amaberis. Non, inquam, cum Theodorico solùm Rege, huc omnem votorum suorum summam habuit collineantem, ut Solis instar, per omnem diem beneficiis plenum excurreret, atque adeo ubique locorum præstita magnificentia suæ signa radiarent.

Non modo, quod Philonis est monitum, Solis instar, nec ad dextram, nec ad sinistram, a Regia via censuit deflectendum, sed constanter progrediendum per mediam. Nec cum Alfonso Lusitania Rege, contentus Solis instar, omnes Regni sui provincias ita perlustrasse, ut omnis injustitiæ aliorumque criminum caligo disparuerit, sola pacis ☉ fidei symmetria manente superstite, subditis ad hæc, circumcirca, illud Nazianzeni adclamantibus: Tuus O Rex! circuitus, DEO gratus, nobis acceptus! Fixumque Tibi ac stabile est, nobis prodesse, quamvis loco minime fixus sis. Nisi verò quis Solem accuset, quia in orbem currit, radios fundens, rebusque quas obit omnibus, vitam afferens. Etenim non in his solùm singulis, sed ☉ in reliquis omnibus, vel in solo hoc Rege, Solem in solo habuimus, grato lumine exsplendescentem.

Adclamabat verò ☉ mihi invictus ille mille certaminum athleta, ☉ qui ipse, aureum quoddam, imo adamantinum fuit simulacrum, Jobus, istam suam sententiam: Ab Aquilone venit aurum! Atque hinc, dummodo ☉ aureum mihi fuisset orationis flumen, parum aberat, quin ostenderem, illum jam immortalitate donatum Monarcham, nullas unquam rubiginis injurias sustinuisse, nullas a terra viliori maculas contraxisse, sed tantum virtutis, tantum splendoris, tantum inter tot adversa Heroicæ constantiæ, indeque ☉ tantum æstimii sortitum, ut cum obryzo quovisque alio auro nobiliore, certare de palma possit, concinne in hanc rem concinne Paulino: Aurum Forma sanctorum est! Sed vero, quod ad aurea hæc sumta ab auro emblemata, congerenda, fecundiore quadam ingenii opus esset fodina, malui ☉ hic tacere, quàm jejune dicere, ☉ pro auro forte, non nisi scorias adponere.

Diu ergo multumque ita in diversa versato animo, tandem in eam deveni sententiam, Historiam Suecicam, à primis, quod ajunt, incunabilis repetere, atque è serie Regum Suecicæ gentis, multis quantumvis hiatis obnoxia, nec paucioribus difficultatibus involuta, CAROLOS omnes, in proscenium ducere, atque ostendere, quomodo priores omnes, in uno de-

tem reliqui, in solo CAROLO XI. quasi concurrerint, inque eo, sive Heroicam compositamque ad dignitatem corporis staturam, divinamque frontis majestatem, sive alia natura bona; sive fortuna ornamenta; sive animi dotes, sive denique rerum gestarum magnitudinem spectes ac gloriam, revixerint, sigillatim, quomodo CAROLUM hujus nominis primum, ingenii felicitate atque sagacitate; Secundum, animi constantia; Tertium Magnanimitate; Quartum curâ Sacrorum; Quintum affectuum moderatione; Fortitudine Sextum; Septimum pacis amore fœderumque religione; Octavum prudentia belligerandi atque imperandi; Nonum pio pro religione Zelo; Decimum solertia ampliandorum regnorum, non expresserit solùm, sed & superaverit. Quæ singula totidem periodis fusius deducere decreveram, erecto sub finem cujusque periodi, peculiari quodam Honoris arcu, cum suis lemmatibus atque emblematis.

Sed dum mecum perpendo, ne sic quidem me laudes hujus Monarchæ attigisse, utpote, qui iis tum animi tum corporis dotibus præditus fuit, ut ipsius potius divinitatis speciem quandam, expressamque imaginem, felicifato cælo nobis demissam, nec tam mortali imperio, sed ipsa potius æternitate dignam præ se tulerit, nolo meam infantiam prodere amplius, sed solo potius stupore, & perpetua admiratione prosequar omnia.

O deplorandam itaque mortalitatis nostræ conditionem! O flebilem rerum humanarum vicissitudinem! O jacturam vix ullis deinceps seculis reparandam!

Is etenim, quem vivum admirati sumus, illum nunc, non cum Suecia solum sua, sed universo pene terrarum orbe, extinctam lugemus.

Macte ergo hoc animo, Magnifice Stockflethe, quod in laudibus Tanti Regis exponendis, vires eloquentiæ Tuæ experiri dubitaveris nullus. Pro certo enim mihi persuadeo, quibuscunque in Europa locis, ubi pietas in Magnates pios, justos, fortesque æstimationem invenit, tuum etiam tam sanctum laborem, calculo quemque suo adprobaturum. Ego vero manum de tabula tollo, si prius breve hoc epitaphium subjecero:

* * *

ADsta viator & non-nihil persta,
Luge, ac lege,
Quæ Te legisse, pœnitebit nunquam.
Situs hic est

CAROLUS XI.

Svecorum, Gothorum Vandalorumque Rex,
imò primus Monarcha.

Rex

Rex,

In quo singulae Regiae virtutes, emicuerunt
singulariter

Rex,

Qui Reginam virtutum, Pietatem, fovit & fovit,

Rex,

Qui justitiae cultor verus, ultor severus fuit.

Rex

Qui Clementiam genuino Regum ornatu exornatus,
flectere quam plectere maluit.

Rex

Suorum gaudium,

Hostium metus,

Pacis Restaurator,

Belli Fulmen,

Religionis Atlas,

Monstrorum Hercules,

Literatorum Meccenas.

Rex

Cujus fulgor ceu fulgur passim diffusus,

Aequalium amorem,

Inferiorum honorem,

Ministorum fidem,

Subditorum obsequium

Exteriorum desiderium

Omnium admirationem

ipsi peperit,

Rex

Cui quae singula vix omnibus, uni singulariter con-
tigerunt,

Ortus divinus,

Imperium securum,

domus tuta,

K

Exercit.

Exercitus fortes,
Senatus fidelis,
Populus probus,
Orbis quietus,
Et quæcunque alia Regis esse vota possunt.
Hic tantus Rex,
eâ, quâ mori potuit parte, mortuus,
Annumq; , quem vitalem ei adprecabantur omnes,
habuit fatalem.
Climactericum equidem noveramus,
Secundum supra Quadragesimum,
Magnis aliàs Viris,
atque in his
Tito Vespasiano, Lucio Vero, Heraclio,
Imperatoribus,
Heinrico secundo, Galliae Regi,
Rolando, Dithmaro, Samueli Waldeckensi,
Comitibus,
emortualem.
Vota tamen erant devota,
Ut vivere non desineret, qui bene imperare non desit.
Sed
Votis Fata non respondebant,
ut potius Rex
meritis maturior, quam annis,
Cœlo donatus, cœlo redonandus esset,
Atque ita
Climactericus iste verè fuit annus.
Nam
Quod major illi cum cœlo quam terra esset affinitas,
è terra æthera conscendit,
Ibiqve nunc Rex constitutus,
ubi Sol verè inoccidens. At-

Attamen
Ut vivus omnium animos vincere & vincire
assueverat,
Ita nunc omnium oculi, pupillam sibi dolent
ereptam.

Adeo ut Rex,
non vitâ sed mortalitate finitâ
gloriæ suæ etiamnum supervivat,
& posteritati gloriosè interfit.

Et licet
Flammis corpus exanime combustum non sit,
quod tamen voraces minacesque flammæ
minabantur,
ut è cineribus Phoenix prodiret,
Phoenix tamen verè habemus,
Et Carolum in Carolo videmus,
Undecimum in Duodecimo adhuc intuemur,
Inque Filio veneramur Parentem,
Verumque experimur illud Hebræorum
Sapientum :

Non moritur Parens, qui Filium sui similem
relinquit.

Abi ergo Viator,
Non enim Regem hic vides,
Sed Regii saltem corporis Exuvias.



Monumentum,
Pii Manibus,

PIENTISSIMI REGIS SVECORUM,

docta manus non absque momento & monumento nuncupavit tua,

STOKFLETHE PIE,

Miratus quidem sum,
dum te, mirande alter Chrysofome, aureum os, admirantur
omnes, plures stupent,

Non tamen in miracula illius miraculi mundi penetrasse,

Verum enim vero

Fistula tua dulcissime canens, suo svavi cantu docuit,
neminem mortalium immortalem Gloriam

GLORIOSISSIMI REGIS,

Culminis Principum,

Affertoris Pacis,

Religionis Columnæ,

Orthodoxie propugnatoris,

Legum custodis,

Univerfi gloriae,

Statoris Rituum,

Gloriose satis delineare posse.

Datur alias hoc Illustrium Principum posteritati,
ut quomodo

Exeqvias à promiscua sepultura separantur,

accipiant, habeant,

propriam memoriam.

Sed

Neque laudum memoriam Encomiafles calamo exæquare,
nedum metiri & commemorare tropæa, quæ sibi gloria sua erexit,
poterit,

Affixus totus & attonitus hæres,
dum oculos defigis

In

Effigies affixas

INVICTISSIMI CAROLI GUSTAVI,

Fulminis belli,

SERENISSIMI GUSTAVI ADOLPHI,

SVECIE STELLÆ,

& PURPUREI PURPURATORUM DUCUM ac SENATORUM
BRAHE, WRANGELII, STEINBOKII, de la GARDE, BONDHE,

AU.

AUGUSTI CAROLI

Amicorum

*OXENSTIRNII, STEINBOKII, GYLLENSTIRNII,
WACHTMEISTERI, WREDE, BIELKE, GYLDENSTOLPII,
DALBERGERI, WRANGELII, GYLLENBURGII,
ROSENHANI.*

dum horum Virtutum stellas cernis,
vox tibi faucibus hæret,

ubi in

UNO CAROLO

Omnia Virtutum, quibus singuli splendide splendent,
splendidissimum splendorem splendescere decernis.
Nullus oratorum plenum tanti serenissimi jubar exhauriet,
nec absolutum exemplar suo archetypo exhibebit simile,

quando

Solem tot radiorum nitoribus sereniorum
per innumeras annorum series venerabitur
veneranda canities.

Natura

non sine miraculo in mundo enixa hunc Regem,

Et si

in Principe magnanimo, suo patre, ad sacrum lavacrum
lux capiti ad limbi instar circumfusa,

quid mirari subit,

quod naturam Demosthenis & Ciceronis
ipsius Encomia

superent.

Virtus suis radiis coruscat,

Habet tamen hanc in Porticu Olympiæ
& Cyzico urbe repercussionem.

Ut post fata suos inveniat æstumatores.

Hinc

Europa nondum pacata, funebri circumdata vestimento,
hoc tempore,

quo maximi Regum & Principum de Pace meditantur,
tristatur funerea,

pacificatorem suum ac mediatorem pacificum Regem,
& gemebunda congemiscit,

etiam maximos Regum in vado
ex tempore.

Fato cedere

Ad lugubres planctus SVECORUM,

ad notas luctuum GOTHORUM,

querula depromunt modulamina VANDALI;
de suo erepto in Regiam hæreditatem hæreditario REGE;

Lamenta edit FINLANDIA,

Lacrimas fundit RUGIA,

de defuncto PRINCIPE suo,

L

plō

Plorat **ESTHONIA**,
deplorat **SCANIA**,
complorat **LIVONIA**,
applorat **CARELIA**,
opplorat **BREMA**,
flet, dolenter **STETINI-POMERANIA**,
deflet dolentius **CASSUBIA**,
de educto inverfis Fatorum Induciis suo Duce,
Querulas emittit voces **INGRIA**,
ferales pronunciat ejulatus **VISMARIA**,
de emortuo Domino suo.
Ipsius nostri **RHENI** videmus humescentes oculos,
demissum gaudio vultum,
de humato Comite Palatino.
Inferit **BAVARIA** ferales oleæ Cupressus,
luget desolatissimus populus peplo terræ involutum
solatium suum.
Digna res!
qvi multorum animos nubilos serenaverat,
& serenos reddere in animum induxerat,
pluvias ut nunc mortis aqvilone excitato excitet
omnium ab oculis & animis.
Vah!
quam diffletis oculis
mæstissimus, etsi potentissimus,
alias non degener inclyti Patris Filius
flammis comburi mavult, quam Regium corpus
Indulgentissimi *Anchysæ* sul
ignem depasce pati.
Tu autem,
STOKFLETHE, Theologe,
dum de hoc coronato capite,
in corona dicis insigniter, majora insignia designas,
tres principaliores coronas significas,
qvas non a longinqvo accepisti, sed oculis tuis
in beato **REGE**,
vero **CAROLO**
distinxisti.
Eqvidem omni tempore, **CAROLI** tempora
oleaginea coronanda & decoranda ducis,
qvod victoriis & triumphis Coronæ Pancarpiaë nectendæ,
Navales addendæ,
Obsidionales texendæ,
Triumphales imponendæ,
Ouales offerendæ,
ita profecto
ad exemplar fortissimi sui **PATRIS** accedebat,

qvi Coronis suis ensẽm adjici & inscribi jufferat:

ISTO CREVIMUS ENSE,

ut utramqve Filius absolverit paginam.

Tu vero, germane STOKFLETHE,

Germanæ pietatis Coronæ coronidem imponis,
qvam Augustus **CAROLUS GUSTAVUS,**

denato suo cœlo & terræ Nato assignaverat

&

numismati insculpserat:

TIBI RESERVAVIT ÆTERNAM,

Qvi conchyle imbutus rore

pretiosos concipit uniones,

ne cœlum petiturus

sibi desint diadematis ornamenta,

Ut pectus divinis innutriet escis,

faces motuum a suis motibus procul expectoravit,

ratus,

in Rege nihil posse spectari altius,

suaqve dignitate nihil dignius,

qvam Regium pietatis culmen conscendere,

neq; Numini terrestri majorem reverentiam facere,

qvam Numen cœleste revereri præsentem.

Corona ceterarum virtutum & totius christianæ vitæ

pretiosissima margarita

est Pietas.

hæc est sapientia, qvæ dominatur & domat domos,

aliis obliqua vela obliquantibus,

antennas missas demittentibus,

remos, rimos & ramos dirimentibus.

Hæc regente & gubernante

Gubernator & Rector populi recte ad gubernacula sedet.

Non potuit aliter hic generosus animus vivere,

Heliotropii imaginem præ se ferens,

ad Deum solum conversus,

respexit unicum Solem justitiæ,

adeo

ut, dum Deum rite coluit,

omnes ritus ritu & nutu divino instruxerit,

dum

ab œcumenico œconomio

ad administranda plurima Regna & Provincias curandas

constitutus,

ita

ministravit omnia in œconomia prudenter instituta,

ut & in hac provincia

dispensatoris summi ideam indueret,

amplitudine negotiorum plures negotiantes præstaret,

præstantissimos dicendi genere ampliaret.

Moderare,
moderate STOKFLETHE,
ubertatem Orationis,
&
uberrimum virtutum pelagus,
Exuberat
flumen Eloquentiæ Tuæ
&
modestia CAROLI modestissimi,
facundiam in sua Virtutum messe
semper coercuit,
&
Laudatores inverfis literis adultores
redarguit.

Noli
vetitas post fata niti in Laudes
quanquam
ad illas reverentiæ affectus Te stimulet,
imo & Tua temperantia
intemperato calamo temperat,
ne plura solvat
pietas
Tui

M. GVOLFGANGI CHRISTOPHORI Räthel /
Illustrissimi Collegii CHRISTIAN-ERNESTINI Theol. Moral. & San-
ctarum Lingvarum Prof. Publ. Ordin. & Nostro SE-
RENISSIMO à Bibliotheca publica.

*Errata, quæ occurrunt Typographica,
qualia ferè sunt,*

Pag. 5. lin. 7. Isidore, pro Isidoro. l. 30. viridi, pro viridis. p. 6. l. 9. virtuosæ. p. 10. l. antep. medeator, pro medeatur. p. 16. l. 13. possunt pro possent. p. 23. l. 43. Antlan- teis pro Atlanteis. p. 26. l. 18. tolerantur, pro tollerentur, p. 27. l. 14. magius pro magis. ib. l. 29. omiff. Privilegium. p. 32. l. 24. inprimimus pro impri- mimus, & si quæ sunt plura, pro suo, ut Lector benevolus corrigat can- dore, obnixè petit Author.





LESSUS RITUALIS
AD USUM
RITUUM ECCLESIASTICORUM
INSTITUTUM, DESTITUTUM, RESTITUTUM
RITU SYNODI ANNUÆ SOLENNI
POTENTISSIMO OLIM, NUNC BEATISSIMO
SEMPER GLORIOSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO
DN. CAROLO XI.

SVECORUM, GOTHORUM, VANDALORUM
REGI

MAGNO PRINCIPI
DUC
SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVON
VERDÆ, STETINI, POMERANIÆ, C

PRINCIPI
DOMINO INGRIÆ I

NEC N
COMITI PALAT
BAVARIÆ, JULIACI, CLI

DUC
REGIO INAUGURA
OLIM INSTI

RITU FATALIUM
NUNC DESTI
SED

USITATIS NUMINIS S
IMMORTALI

ET COELESTIUM REGNO
ET TERRESTRIVM IN

IMMORTALIS NOM

CAROLI NUMINIS QVONDA
NUNC COE

GLORIOSA RECO
ÆTERNUM RE

IN
JUSTISSIMÆ INSTITUTÆ QVERELÆ
MEMORIÆ NUNQVAM DESTI

ÆTERNÆ GRATITUDINIS ET SUBJECTION
LUCTUOSE PRIMO

OBLIVIOSE DESTITUTÆ
GLORIOSE RESTITUTÆ

AB
HEINRICO ARNOLDO STOC
SERENISS. PRINC. BRANDENBURG

RIO ECCLESIASTICO, SUPERIORIS MARCH
RICI SUPERINT. GENERALI ET MONACHO

NATORE AULICO SUPREMO, CONSIST
GYMNASII CHRISTIAN-ERNE

MONACHOMONTI. LITTER
ANNO CH. M. DC.

